



EXPOSITIONIS  
PHILOSOPHIÆ NEWTONIANÆ  
LIBER III.

Theoria Gravitatis Analytice De-  
monstratur.

---

C A P U T I.

*Quid de Gravitatis Theoria ante Newtonum  
compertum fuerit.*

LATAnta est tum experimentorum, tum  
observationum copia, ut amplissimæ  
collectioni historiæ naturalis, phæno-  
menorumque descriptioni materiam uberem præbere  
possit; at Geometriæ, & Mechanicæ principia viam  
no-

nobis tandem aperiunt, ut analysin a phænomenis ad vires, causasque effectrices provehere nobis liceat, quorum ductum si prudente ubique cautione sequamur, de fundamentorum firmitate securi, nihil erit unquam, cur incumbentis iis scientiæ fabricæ metuamus.

Notitia prima, quam Philosophi de rerum natura habebant, plane cum vulgo ipsis communis erat, utpote solo sensuum usu acquisita. At vero cum postea diversas suas cognitiones compararent inter se, cum in sensus ipsis, quorum ope eas hauferant, accuratius inquirerent, eosque variis juarent adminiculis, quin errores etiam detergerent, in quos incautos inducere possent; cum debitum Geometriæ, Mechanicæque usum in Physicam inveharent, aliam mox Natura faciem apud Philosophorum animos induit, quam quæ rudium oculis obversari videbatur. Telluris superficies putabatur ab initio ultra omnes limites in planum immensum porrigi, reliquis, quæ ad mundi universi compagem pertinent, nubibus, meteoris, luna, sole, stellisque omnibus in cavo quodam versus terram fornicis instar recurvo suspensis. Talem fingebat mundi fabricam primis temporibus a plerisque recepta opinio fallace illa specie, quæ prima subiit, tam alte in animos penetrante, ut & oculis, & auribus sese quam certissime percepisse crederent, quæ neque erant uspiam, neque esse poterant. Hunc in modum Poeta Romanum exercitum, cum in Lusitaniam deductus esset (occiduum scilicet magnæ continentis limitem) exhibet, velut qui audierit ardenter solis glo-

globum , cum sese in stridentis oceani undas im-  
merget,

*Audiit Herculeo stridentem gurgite solem. Lucan.*

Hæc dum ad occidentem alii , alii rursus ve-  
lut eorum narratione acceptum , qui oras illas pera-  
grarint , referebant , immanem alicubi ad ortum pa-  
tere hiatum , e quo intolerabili cum fremitu sol quo-  
tidie sese proriperet . Verum Philosophos haud diu  
latere potuit , terram nequaquam indefinite proten-  
di , sed figura esse sphærica præditam ; meteora ,  
planetas , stellas non in eadem superficie cava esse  
constituta , sed in cœlestibus illis spatiis ad diversa , &  
ingentia alia ab aliis intervalla esse collocata , eorun-  
dem magnitudines , motusque veros ab apparentibus  
discrepare vehementer , de quibus judicium ferri non  
possit ex iis , quæ uno tantummodo in loco specta-  
tori objiciuntur , sed combinatis inter se , quæ a di-  
versis ex diverso positi , diversisque e plagiis obser-  
vata sunt , secundum Geometriæ leges licere demum  
certi aliquid constituere .

2. Et quoniam systema mundanum e figura ,  
mole , motuque vero corporum , quibus constat , de-  
duci debet , pulcherrimo fane exemplo methodus tum  
analytica , tum synthetica , qua eo pertingere possu-  
mus , illustrabitur , ubi ostenderimus , qua demum  
ratione e phænomenorum specie , quæ nobis isthic  
in tellure constitutis offertur , ea , ut in se sunt , co-  
gnoscere possimus ; quod si nos fugiat , omnis no-  
stra in vires , & causas , e quibus pendent , inquisi-  
M m tio ,

tio , vel dubitationi subjacebit , vel errori . Ordinis , motuumque corporum cœlestium notitia , causarum investigationem præcedat , necesse est : illa expeditior multo ; hæc plus habet difficultatis ; sed illa viam ad hanc sternit , itaque lectoris præparat animum , ut dum methodi vim , quæ una nos ad solidam scientiam perducere potest , in simplicioribus experitur , ad ea dein progrediatur commodius , quorum disquisitio est complicatior . Unde exemplo primum utemur admodum perspicuo , & simplice , paucisque docemus , ut ex iis , quæ fieri videmus , vera telluris figura , magnitudo , motusque eruantur ; & ut hisce principiorum instar semel stabilitis , methodo dein synthetica innumera alia phænomena deducantur .

3. Visui debemus , quæ de partibus systematis nostri Planetarii remotioribus novimus , cum ea tantum , quæ nos prope ambiant , aliorum sensuum observationi subjici possint . Hinc fit , ut licet pulcherrima sit ea cognitio , suis tamen nævis laboret . Pendet scilicet visio ab imaginum rerum externarum pictura in retina oculi efformata , cui iudicium animæ nostræ ex usu & habitudine illico accedit , ita arcte cum ipsa sensatione conjunctum , ut , quamvis sollicita quis mentis reflexione utatur , neutiquam hæc duo separare , vel errorem mox , ut cuperet , corrigere possit . Si visio sola illa imagine in oculo depicta absolveretur , quoties hæc eandem extensio nem in retina habet , æqualium magnitudinum ideæ de objectis nascerentur , contingenterque profecto , ut si minusculum quodpiam insectum tam prope objiceretur

retur oculo, ut aspectum diffiti alicujus montis eriperet, parem illi cum hoc molem tribueremus. Verum ex usu longo facultatem contraximus, nostram opinionem, priusque conceptas de distantia notiones, cum amplitudine imaginum, quæ formantur in retina, combinandi, atque id incredibili prorsus promptitudine, ut idea, quæ de rerum mole in nobis consequitur, utrvis ex æquo originem suam debeat, existimatione scilicet illa, quæ de interjecto spatio animo prius insederat, volumini imaginis justam compensationem præstante. Pronum hinc est intelligere, quot erroribus occasionem visus præbere possit: cum enim sæpe in judiciis nostris, quæ de intervallo inter diversa corpora ferimus, hallucinemur, fieri necesse est, ut de eorum magnitudine falsas nobis ideas effingamus. Huic adde, quod dum distancias aestimamus, de iis potius ex habitudine quadam, quam ratione, certoque consilio pronunciemus; & experimur non raro, quod, licet postea judicia nostra corrigamus, mentemque ampliore, accuratioreque rerum cognitione instruamus, ejusmodi tamen falsarum notionum vis in nobis perduret. Sic luna non longe ab ortu vel occasu remota, nobis adhuc major apparet, quam dum prope meridianum versatur, quamvis, illic dum est, majore eam a nobis intervallo distare demonstratum habeamus, ut propterea minor videri deberet. Quippe, ut animadvertis Keplerus, cœlum non hemisphærii cavi, sed segmenti minoris speciem refert, ideoque assuevimus maiorem illis tribuere molem, quæ ad magnam distantiam prope horizontem videmus, quam quæ eadem quidem apparent magnitudine (seu quorum imagines

in oculo æquales sunt) sed admodum supra horizontem sunt elevata. Atque hinc elegantem explicacionem Keplerus repetit, cur lunam majorem arbitremur ad horizontem depresso, quam cum magnam obtinet altitudinem. Licet vero errorem hunc dedocti simus, certumque teneamus, lunæ magnitudinem apparentem horizonti propinquæ eadem ratione decrescere, qua illius distantia augetur, impetrare tamen a nobis haud possumus, ut rerum harum in ferendo judicio rationem accuratam habeamus, sed veteri consuetudine (*a*) abrepti, plus, quam oporteat, illi ipsi distantiae excessui tribuimus. Quam vim contracta semel habitudo in animam, ejusque operationes obtineat, quamvis peculiari diligentia a Philosophis examinari mereatur, a loco tamen isto id alienum arbi tramur, ne scilicet citra necessitatem, incerta adhuc, obscuraque cum iis permisceamus, in quorum perspicuitate animus acquiescit. Analysis, quam exponendam suscepimus, nullο eget principio, quod in controversiam vocari possit, sed Geometriæ tantum innititur rite ad systema cœleste applicatae.

4. Ex-

---

(*a*) Quod segmenti minoris, quam hemisph̄rii, formam cœlum nobis exhibeat, inde fortassis est, quod majora longe intervalla horizontem versus contemplari confueverimus, quam juxta lineam verticalem per zenith transeuntem. Quidquid vero causæ sit apparentis hujus figuræ (modo talis revera appareat) consequi videtur, animum in oppositum, contraria quadam cogitandi habitudine inflecti posse; uti re ipsa sunt nonnulli, qui animadventunt, lunam ipsis modo haud quam tam magnam apparere, dum prope ab horizonte absit, quam olim, dum juvenes adhuc ejus motus veros nondum perfectos habuerunt.

4. Experientia complura nobis suppeditavit media, quibus de corporum visorum intervallo judicare possumus, modo ne nimium a nobis sint remota; uti in primis illud est, quod diversa sit oculorum compositio, quando rem vicinam utroque simul intuemur: manifestum namque est, oportere tum alterum versus alterum magis inclinari, ut ad idem punctum dirigantur, quam si res longius a nobis abesset. Pari ratione usu didicimus, corpus plus aequo propinquum si spectemus, imaginem efformari obscuram, & confusam, atque vim quampiam oculo inferri debeare, qua ita conformetur, ut non nihil magis distinctam recipiat. Præterea experimur, vicinarum rerum figuras clarius, illustriusque in oculo depingi; languidius, atque obscurius remotarum. At potissimum metimur intervallum ex rerum aliarum interiectu, vel vero (si res, quam consideramus, ad illarum classem pertineat, quarum notitiam e longiore usu habemus) ex spatii magnitudine, quod ejus imago in retina occupat. Hæc sunt (aut fortassis alia adhuc), e quibus utcunque de corporum non multum distantiorum intervallo judicamus. (a)

M m 3

At

(a) Scriptor quispiam magnæ eruditionis, cuius muneri etiam peculiaris observantia debetur, materiæ hujus pertractandæ initium a sequente observatione f. c. t: „ Inter omnes, inquit, ut quidem existimo, convenit, intervallum in se ipso, & sine alterius rei interventu, videri non posse: nam cum id, quod distantiam appellamus, linea tantummodo sit ad oculum usque perducta, in ejus fundo non nisi puncti imaginem habet, quod idem manet, seu lineæ longitudo major, seu minor fuerit”. Distantia, de qua hic agitur, illa est, quam res ab ipso oculo habet, neque isthic

At quando corpora ad ingentia spatia a nobis remota sunt, neque aliud quidquam interjacet, quod visu percipi posset, uti contingit in corporibus cœlestibus, allata media nos in errorem inducunt, cum tanta intervalla sensuum ope non amplius inter se conferri possint, ideoque nec decerni, quæ ex iis majora, quæ minora, nisi Geometria, simileve artificium, in subsidium vocetur. Hoc igitur dum corpora sunt posita, oculus ea omnia ad eandem superficiem cavam refert. Sic nempe nubes, meteora, planetæ, stellæ in eodem cœli cavo hærere videntur, quamvis ingens spatii inter singula intercedentis sit varietas. Et tum sane necesse est, ut admicula indubitata a Geometria petamus, quibus scilicet etiam facile detegimus, nubes non modo planetis nobis viciniores esse, quos nobis quandoque obtegunt; sed etiam paucis passuum millibus elevari, cum haud magna loci, e quo eas spectamus, mutatio earum positiones admodum varias reddat, & quæ in locis

---

dicta universe in rerum a se remotarum intervalla convenient. Inter spatia eadem varietas intercedit, quæ in aliis quantitatum generibus reperitur: & magnitudo visibilis partibus constat, & in eas æque resolvi potest, ac quævis alia, quæ tactui substat; nec minus earum, quæ visu tantummodo percipiuntur, proportio exhiberi potest, quam illarum, quæ tactum afficiunt; ut adeo longius, quam par sit, progrediatur auctor, cum afferit, non magis ad Geometriam revocari posse magnitudinem visibilem, quam voces, & dum universe tribuit distantiae, quod illi tantum competit, quæ inter rem visui objectam, ipsumque oculum intercedit; atque inde evincere nititur, spatium, extensionem, & rerum intervalla, si proprie loquamur, ad visum non pertinere, & nostra de hisce judicia non magis posse pendere ab oculo, quam ab aure.

locis diffitis eodem tempore ab aliis observantur, diversum prorsus situm obtineant, ac illæ, quas nos videmus. Porro lunam nubibus multo altiorem esse, inde facile intelligimus, quod simul ab omnibus, qui in eodem telluris hemisphærio habitant, cerni possit, atque omnibus inter easdem prope stellas fixas appareat. At enim, quod minus, quam sol, a terra distet, absque negotio discimus, cum soli, nostro que globo interposita eclipsin efficiat; quemadmodum etiam Venerem, & Mercurium, quando in coniunctione inferiore versantur, nobis sole propiores esse inde concludimus, quod tum macularum nigrarum instar in ejus disco quandoque compareant. Quod si instrumenta nostra ad summam perfectionem perduci, observationesque maxima accuratione peragi possent, quantum quodvis e corporibus cœlestibus distet, certo nobis constaret, indeque ordinis, & dispositionis totius systematis mundani cognitionem numeris omnibus absolutam haberemus. Sed quoniam hæc nostræ analyseos præcipua sunt capita, ut pluribus illustrentur, operæ pretium est.

5. Sint in A & C (Tab. III. fig. 50) duo spectatores, aut idem in horum duorum loco altero post alterum; D sit corpus, aut qualemunque demum phænomenon, cuius distantia quæritur. Spectator in A collocatus id in recta ADF; & qui in C est, in altera recta CDE videt, angulusque ab his lineis comprehensus ADC indicat, quantum situs objecti horum spectatorum comparatione mutetur. Quando angulus iste magnus est, intervallam AD non admodum magnam rationem ad spatium AC ha-

habet ; sed cum exilis est , veluti objecto D in H translato , tum vero necesse est , ut ejus distantia ab A multo major sit , quam AC , qua observator alter ab altero abest ; quia scilicet ex Trigonometriæ planæ regulis semper est AC ad AD in eadem ratione , quam habet sinus anguli ADC ad sinum anguli ACD . Sic si D nubem quampiam exhibeat , & AC , aliquot passuum millia , angulus ADC sat grandis deprehenditur ; e quo confici-  
mus , nubem illam non admodum magnam habere altitudinem . Si EC , KA sit radiorum solarium inter se parallelorum directio , umbra nubis in locum C plani AC incidit , ideoque in unica statio-  
ne A captis angulis DAC , KAL ratio AC ad AD investigari potest . Verum et si AC plures  
centena millia passuum contineat , si H lunam repræ-  
sentet , angulus AHC prorsus exiguis invenitur :  
e quo consequitur , distantiam lunæ a tellure multa  
milliarium millia continere .

6. Esto C ( fig. 51 ) centrum telluris ; A locus quivis in ejus superficie ; CA e linea verticalis ejus loci ; d objectum , aut quodlibet phænomenon in zenith existens ; AD F tangens telluris in A , quæ cum horizonte sensibili ejus loci congruet .

Fig. 51. Quod si objectum d referri ponatur ad stellam fixam in e , quamdiu in verticali existit , eundem situm habebit , seu ex A , seu ex C spectetur . Ast id verum non erit , quando e d ad horizontem in D de-  
primitur . Quamvis enim ponatur ( motu proprio nihil interim turbante ) , centrum C , objectum D , stellamque E semper in eadem recta manere ; ne-  
que-

queunt tamen D, & E in eadem recta persistere cum loco spectatoris A; sed dum D ab observatore versus F refertur, stella adhuc supra horizontem arcu EF elevata videbitur, qui angulum EDF, seu ADC metitur, cuius sinus est ad radium, ut semidiameter terræ CA ad distantiam objecti a centro CD. Atque hic angulus parallaxis horizontalis objecti, vel phænomeni appellatur, estque illi æqualis, sub quo e distantia CD semidiameter telluris appareret, idemque prorsus est, objecti cujuspiam parallaxin horizontalem reperire, ac magnitudinem, seu minutorum aut secundorum numerum definire, quæ e loco objecti semidiameter terræ spectata subtenderet. Sint objecta quotvis in recta AF, velut D, G, H; fingamus in singulis suum adesse observatorem, qui inde semidiametrum terræ AC metiatur: apparebit ea sub angulis CDA, CGA, CHA, qui propterea erunt objectorum illorum parallaxes, eadem ratione decrescentes, qua singulorum a tellure distantiae maiores fiunt.

Unde evidens fit, objectorum istorum distancias reperiri, si magnitudo apprens semidiametri telluris ex iis spectatæ inveniatur: methodi certe principia nullam patiuntur exceptionem, quando clarum est, ut tellus magna appareat, requiri, ut spectator ab ea non multum distet; & ex opposito, e majoribus eam intervallis considerari debere, ut minor videatur. Qui non nisi aliquoties centenis passuum millibus abesset, tellurem magna adhuc sibi mole apparentem haberet; at in lunam usque translato observatori, terræ semidiameter sub angulo uno gradu

N n mino-

minore spectandam se præberet. E Venere ejusdem prope magnitudinis hic globus noster cerneretur, cuius planeta ille in tellure videtur. Quod si ad Jovem vel Saturnum spectatorem removeamus, ejus visui ut terra nostra sese fere penitus subducatur, est necesse, nisi vel majore longe, ac nos, oculorum acie polleat, vel artis instrumenta in subsidium vocet. Et quoniam data semel ratione distantiae observatoris a centro terræ ad ejusdem semidiametrum, facile determinatur, quantæ molis ei apparere debeat, consequens est, ut e contrario, data magnitudine, quam tellus ejus aspectui objicit, distantia eadem facilitate reperiatur.

7. Atque hunc in modum telluris mensura in celum ipsum infertur, corporumque planetariorum distantiae tam cum semidiametris terrestribus, quam inter se comparantur. Materiæ huic si plus adhuc lucis attulerimus, e re sane erit, quippe quæ tantæ ponderis est in Astronomia, scientia, inquam, illa, cui cognitionem tam amplam, tamque late diffusam pulcherrimarum rerum debemus. Fingamus spectatorem in A constitutum, cuius visui immensus undique spatium objicitur, dum interim recta D L, ad A D perpendicularis, & semidiametro telluris æqualis, a minima distantia longius semper ultra omnem terminum in recta A F progreditur. Hoc posito, in comperto est, parallaxin cuivis intervallo competentem nil aliud esse, quam angulum, sub quo ab observatore in A semidiameter terræ, sive recta mobilis D L, cum illuc pervenit, videatur; nempe distantiis A D, A G, A H &c respondet.

spondentes parallaxes sunt anguli **D A L**, **G A M**, **H A N**, apparentem semidiametri terræ magnitudinem metientes, quam spectatori in **A** ex iis intervallis exhiberet. Si cogitemus, hanc semidiametrum ultra quovis limites longius semper removeri, ita fere imminutæ speciem præbebit, uti distantia augetur. Hinc porro parallaxes eadem decrescent ratione, earumque diminutio iisdem exponetur gradibus.

Nemo non videt, ut primum objectum quodpiam a linea verticali discesserit, ita spectatori in **A** constituto horizonti vicinus, quam vere sit, apparitūrum, eoque fore majorem hanc depressionem, quo reapse propius ab eo circulo abfuerit. Verus objecti **D** locus in **E** est, quo nempe e centro **C** spectatum referretur; apparens autem, si ex **A** consideretur, est **F**, ejusque depresso, seu parallaxis, mensuram habet arcum **E F**, aut angulum **E D F**, parem angulo **A D C**. Ut autem hæc justa major vicinia cum horizonte inveniatur, observanda est stella fixa **E**, quæ parallaxi omni a nobis percipienda caret, & quacum objectum illud in linea verticali **A D** e constitutum in conjunctione ponebatur: nam ipsum depressionis discrimen objecti **D** ex **A** visi infra fixam **E** parallixin exhibit. Simili méthodo ex Astronomicis observationibus lunæ a centro telluris distantia media eruta est fere 60 semidiametrorum nostri globi.

8. Si corpus e majore aliquo intervallo constueamur, longe accuratius de ejus figura pronunciarē possumus, quam si e propinquō illud spectemus. Nam dissiti major multo pars uni, eidemque obtu-

tui subjicitur, ut proinde multo commodius totius figura cognosci possit, quam si oculo prope admoto minusculæ quævis asperitates pateant, quæ cum visum potentius afficiunt, facile in errorem nos conjiciunt, dum de voluminis integri forma judicare debemus. Hinc est, ut exemplo rem declaremus, quod absque difficultate solem & lunam figura globosa esse cognoscamus, cum quacunque positione oculis objecta circulari semper ambitu definiantur, quod quidem solis corporibus sphæricis convenit. At non ita expeditum nobis est, qua tellus figura sit, constituere, quod amplissima etiam spatia, ad quæ visus noster ex altissimorum montium cacumine pertingit, admodum exigua superficie totius sint portio, quæ lente nimium in sphæram curvatur, quam ut a nobis percipi possit. Attamen suppetunt nobis argumenta alia gravissima, quæ terram rotundam esse evincunt, quamvis a sphærica forma non nihil aberreret. Telluris sectiones, quas per polos transire mente concipiimus, seu meridianas, circulares esse inde nobis constat, quod, quo quis magis versus meridiem accedit, eo illi semper stellæ septentrionales magis versus horizontem deprimi, australes vero supra eundem elevari videantur, atque id constante ferre ratione, ut tum illarum descensus, tum ascensus harum ad unum gradum, 60 milliaribus Italicis, seu Geographicis in meridiano respondeat. E quo concludimus, sectionem per meridianum transeuntem esse circulum, cuius unus gradus 60 milliaria, tota autem circumferentia  $60 \times 360$ , vel 21600 contineat. Qui in æquatore sunt, illis polus uterque in ipso horizonte videtur; ast inde versus boream pro-

progradientibus polus cognominis attollitur, donec in ipso polo telluris constitutis, polus cœlestis in puncto verticali, seu zenith, appareat, ut universæ poli elevatio totidem semper gradibus crescat, quot distantia ab æquatore. Porro æquatorem, sectionesque huic parallelas, ex ordinatissimo lucis ab oriente versus occidentem progressu, quem singulis diebus experimur, deducimus. Sol eo citius ad loci cujusvis meridianum appellit, quo ab altero magis versus ortum situs est, temporis intervallo ipsi meridianorum distantiae (cujus mensura in æquatore sumenda est) respondentē. Quin telluris figura globosa ex libellatione quoque deducitur, in qua ratio utique haberi debet discriminis, quod inter lineam libellæ veram, & apparentem intercedit, cum illa sita sit in ipsa superficie convexa, infra planum tangens semper de pressa, hæc vero in plano terram tangente.

9. Verum quod terram sphærica forma esse planissime æque, ac certissime ostendit, est ejus umbra, quæ in eclipsibus lunæ in hujus discum cadit. Quoniam enim hæc umbra semper arcu circulari circumscribitur, necesse est, ut terra, a qua projicitur, sphæræ figuram habeat, quæ siquidem alicubi vel angulosa esset, vel majorem in modum prominere, id certe aliquando ejus umbra proderet. Evidem montium juga terræ superficiem inæqualem reddunt; sed enim cum tota ejus mole composita adeo sunt exigua, ut nullo modo in umbra percipi possint. Sic etiam terra a littoribus maris versus majorum continentium interiora paullatim assurgit, ut in Europa ab oceano, a mediterraneo, a ponto Euxino

versus Helvetiam; at enim lenior hic ascensus tam modicus est, ut nullam admodum figuræ mutationem adferre possit: major si foret, continentis medium nimium in atmosphærā attolleretur; nunc vero fluminum cursui sufficit, & admirabilem illum aquarum in orbem refluentium motum, globo nostro tam necessarium, conservat; neque est, cur dubitemus majores terrarum tractus propterea in acclive protendi, ut inde id commodi enasceretur. Denique omnia hæc, quæ adhuc differimus, quam evidentissime globosam nobis figuram telluris commonstrant, quamvis accurate sphærica non sit; quæ siquidem e majore intervallo spectaretur, non aliter, quam sol, vel luna appareret, id est, limbo circulari, modo ne ultra modum esset remota, ut contracta admodum diametro tota ejus superficies in punctum exiguum, Veneris, vel Martis instar, abiret, nec altissimorum Peruvianorum montium catena sufficiens lumen reflectente, quo percipi posset. Ad spatia tam ingentia spectatoris oculum, nisi telescopio, similiue instrumento adjutum, figura penitus effugeret.

10. Oceanus, quo magna telluris portio tegitur, accuratius superficiem sphæricam induit, quam partes solidæ; neque dubium est, quin id e graviate, qua omnia corpora versus tellurem, directione ad ejus superficiem perpendiculari agente, tendunt, proficiscatur. Quod si enim gravia sub angulo aliquo acuto versus superficiem niterentur, ea ex parte aquæ defluere deberent, neque antea æquilibrarentur, quam directio iis undique ad perpendiculari

culum infisteret, neque ullam in partem moveri possent. Porro linea<sup>e</sup> superficie<sup>e</sup> sphæricæ normales omnes in ejus centro concurrunt; quare cum tellus parum a sphærica figura abeat, directio gravitatis proxime versus centrum tendit; non quod puncto illi, quod centrum dicimus, vis quæpiam insit peculiaris, vel corpora, nescio, qua ducta illecebra illuc connitantur; sed quod directio hæc e partium omnium versus omnes, quibus terra constat, gravitatione mutua oriatur, quemadmodum in sequentibus clarius patebit. Corpora gravia directionem nullam ex se certam, atque definitam sequuntur, in quam opinionem vulgi animus proclivis est, neque fulcris ullis, aut fundamentis opus est, quibus moles hæc terrestris incumbat, quando eo jam corpora deorsum tendunt, quod versus centrum ferantur, aut ut accuratius loquamur, quando linea ad superficiem sphæricam perpendicularis, si inde a parte concava producatur, non nisi deorsum dirigi possit, & in oppositum tantummodo, seu a parte convexa, sursum. Si globus noster non nisi fluidis constaret, ejus superficies undique maxime æquabilis foret, neque pars ulla supra alias emineret, sed omnes toto voluminis ambitu æqualibus momentis libratae extra lapsus ullius periculum sustentarentur. Hunc in modum facile animo comprehenditur, quomodo antipodes adversis nobis vestigiis consistant; neque minus foret absurdum, si quis existimaret, corpora in opposito hemisphærio a terra suo pondere avelli, alioque decidere posse, quam si isthic nobis persuaderemus, futurum aliquando, ut nostratia sua sponte sursum in aera efferantur.

II. Gravitatis vis ad universa corpora tellurem ambientia pertinet. Postquam aeris ipsius pondus rationibus omnem dubitationem excludentibus demonstratum est, maxime Galilei, & Torricellii experimentis jam in vulgus quoque notis, aliisque consimilibus, perspicuum est, quævis demum corpora terrestria, cujuscunque sint generis, gravitatem in tellurem exercere; quæ vero quibusdam inesse apparet levitas, eam provenire ab aeris circumfusi gravitate majore, a quo scilicet non secus in altum attolluntur, ac suber ab aqua, plumbum a mercurio; aut certe eorum ascensus medio cuiquam intra eorundem particulas contento adscribendus est. Imprimis autem gravitatem omnibus corporibus terrestribus communem esse, ex eo intelligimus, quod captis maxima accuratione experimentis semper constiterit, eam ex materiae proportione agere, neque a figura, neque a volumine, neque a partium plexu pendere, sed solius massæ modum sequi, indeque mensuram accipere, si nempe medii, cui innatant corpora, interim in ea actionem semoveamus. Efficit enim gravitas æquali tempore æqualem in corporibus quibuslibet velocitatem, ut propterea necesse sit, eam in æquales partes eodem prorsus modo agere, & in maiores majorem quoque vim exercere. Directio porro illius fere ad centrum telluris tendit, cum in præfens rationem non habeamus discriminis, quod figura a sphærica paullum diversa, atque per motum uniformem circa axem telluri inducta, adfert: efficacitas item tanta in corpora est, ut omnia intra minutum secundum temporis  $15 \frac{1}{2}$  pedes Parisinos deorsum ferrentur (quemadmodum e compluribus sum-

ma

ma diligentia institutis experimentis eruitur ) si quidem recta ad horizontem perpendiculari citra ullum impedimentum laberentur , neque aeris , alteriusve medii ambientis resistentia motus infringeretur.

Dum corpus directione ad horizontem obliqua projicitur , curvæ alicujus portionem ita percurrit , ut accurate in illud terræ punctum recidat , cui recta imminent tantæ altitudinis punctum alterum in linea directionis , ut inde lapsu perpendiculari & libero , eodem tempore ad idem descensurum fuisset : atque id , si fingamus gravitatem directionibus parallelis agere , uti ante Newtonum plerumque hæc hypothesis locum habebat , & vero etiamnum habet citra errandi periculum , quantum ad motus quoslibet , qui per machinas nobis usitatas effici possunt ; licet ceterum Newtonus necessarium duxerit , ut major ratio modi , quo gravitas agit , haberetur.

12. Postquam analysin eo jam deduximus , ut figura telluris , gravitatisque directio nobis innotesceret , ingens inde phænomenorum varietas methodo synthetica contextam explicationem recipit ; uti ea cum primis universa , quæ ex doctrina de sphæra petuntur , seu quis Pythagoræum , seu Ptolomaicum mundi sistema amplecti malit , e telluris forma sphærica deducuntur . Quoniam sol 24 horarum tempore totum circulum percurrere videtur , 15 gradus horæ spatio , ac gradum unum intra quatuor temporis minuta conficit ; atque id tam in æquatore , cum in eo versatur , quam in parallelis , quos dietim peragrat , locum habet . Hinc si meridianorum distantia in æquatore accepta duorum quorumvis locorum

O o nota

nota sit, facili reperitur calculo, quantum horæ alterius præcedant horas, quæ in altero numerantur, modo cuivis distantiae gradui quatuor minuta horaria tribuantur; & ex opposito data temporis differentia, quod in locis diversis computatur, longitudinis discriminem obtinetur, si quatuor temporis minuta intelligantur gradui respondere, itaque ex proportione minorum partium valor æstimetur. Quivis facile perspicit, horas, quæ peculiari quovis in loco singulæ post singulas fluunt, omnes simul, eodemque haberi tempore, si quis totum terræ globum spectet, ut nullam ex omnibus viginti quatuor quis designet unquam, quin illoco ostendatur aliquis in telluris ambitu meridianus, sub quo positi incolæ eam ipsam horam tunc numerent. Horizon *sensibilis*, seu, ut ajunt, *physicus* loci cujuspam est planum, cui linea verticalis ad perpendiculum insistit, quod præterea telluris superficiem contingit tantummodo; at *rationalis* est planum priori parallelum, perque centrum terræ transit, cujus poli sunt puncta Zenith & Nadir, quemadmodum æquator eosdem habet, quos Borealem, & Australem mundi dicimus. Jam vero quæ loco cuivis propria sunt phænomena, ex horizontis positione cum circulis motus diurni apparentis solis, stellarumque comparati originem ducunt. Horizon eorum, qui in æquatore sunt positi, per mundi polos transit, atque æquatorem, omnesque parallelos bifariam fecat, quam ob causam iis in locis dies noctibus semper æquales sunt, omniaque astra medio revolutionis suæ diurnæ tempore supra horizontem elevata sunt, medio infra eundem depressa; præterea circuli omnes, in quibus

bus motus diurnus siderum peragi videtur, horizonti sunt perpendicularares, atque ideo æquatoris incolæ dicuntur sphæram rectam habere; quibus illud etiam peculiare, quod, dum sol in æquatore est, ad horizontem ortivo recta ad Zenith usque ascendat, inde iterum versus occasum via ad horizontem perpendiculari devolvatur; alias vero, quando extra eum circulum versatur, oriatur quidem sub angulo ab horizonte recto, sed mox obliquo, seu in Austrum, seu in Boream cursu, ut anni fert tempesta, parallelum suum peragret: e quo illud quoque emolumenti enascitur, quod non parum calor immodicus mitigetur. Ad polos constitutis horizon cum æquatore congruit, ut hemisphærium cœli boreale semper conspicuum sit e cognomine polo telluris, supra cuius nempe horizontem perpetuo extat; at vero ex australi nihil omnino videri possit, semper infra horizontem latente. Et quia circuli motus diurni cum æquatore, & proinde cum horizonte paralleli sunt, sol, stellæque omnes parallele ad horizontem revolvi videntur: stellarum fixarum nullus est unquam ortus, nullus occasus; solis annuus, cum nempe verno æquinoctio in hemisphærium illud ingreditur, idemque sub æquinoctium autumni relinquit: ex quo fit, ut die fruantur spatio semestri, parique iterum intervallo careant. Atque hic situs quibus obtigit, sphæram parallelam habitare dicuntur.

In locis, quæ polum inter, & æquatorem sunt, diurni circuli oblique ad horizontem inclinantur, supra quem polarum alter semper eminet arcu loci cujusvis

O o 2 lati-

tudini æquali, altero tantundem infra eum constituto. Sidera, quorum distantia a polo superiore latitudinem loci non excedit, nunquam occumbere possunt, uti nec illa oriri, quæ pari intervallo a polo opposito sunt remota. Et cum æquator, & horizon sepe in partes æquales secent, quod in circulis maximis fieri necesse est, ubivis terrarum nox diei æquatur, quando sol æquatorem percurrit; at enim dum ex eadem parte cum polo conspicuo est, parallelorum diurnorum major portio supra horizontem extat, quam infra eum lateat, &, quod consequitur, dies sunt noctibus longiores. Contraria ratione sole in alteram ab æquatore partem transgresso, cum illic paralleli cujusvis pars major sit sub horizonte, & minor tantum visui exposita, dies a noctibus excedi debent. Harum omnium regionum incolæ sphæram obliquam fortiti sunt. Quod si jam anni totius curriculum spectemus, in locis hisce tam variis æquali tempore dies habetur, seu solis centrum supra horizontem aspectabile est, æquali nox, seu solis centrum infra horizontem absconditur; si interim a lucis refractione, & figura elliptica orbitæ telluris cogitationem abstrahamus, quarum rerum in sphæricis ratio nulla habetur. At vero æqualia hæc noctis, lucisque tempora dispari prorsus ratione singulis obtingunt locis. Sub æquatore duodecim diurnis totidem nocturnæ horæ inviolate succedunt. Sub polis, quidquid diei est, simul, nullaque nocte interruptum habetur, uti etiam nocturnum tempus continuum est, utrvis anno dimidio respondente. In locis medii inter polos, & æquatorem situs, quod alia anni tempestate ultra æquum diebus magis producti obti-

obtigit, id alia noctibus tribuitur. Demum circulum polarium accolis, pluribus diebus, aut etiam hebdomadibus continuis sol supra horizontem in circulum revolvitur; ast anni tempestate opposita æque diu infra illum moratur. Ut adeo etiam illic æqualitas diurni, nocturnique temporis observetur, modo neque magnitudo diametri solis, neque luminis refractionis, neque crepuscula, neque orbitæ telluris forma elliptica in computum veniant, quibus omnibus nempe efficitur, ut tempus diurnum magnam partem e nocturno detrahatur, idque imprimis in hemisphærio boreali.

Amplitudinis præterea ortivæ & occiduæ, seu arcus horizontis, in quo sol diversis anni temporibus oritur, & occumbit, multiplex est discrimen, quod ex iisdem principiis proficiscitur. Nam minima est sub æquatore, neque ultra  $23^{\circ} 29'$  utrinque in meridiem, & septentrionem ab ortus & occasus cardinibus excurrit. In latitudine  $56^{\circ}$  fere ad  $45^{\circ}$  ab iisdem punctis in utramque partem discedit, ut proinde loca ortus & occasus ad austrum remotissima distent a septentrionalibus fere circuli quadrante. Sub circulis polaribus amplitudo hæc medium horizontem a septentrione usque ad meridiem occupat.

Circulum qui horizonti simul, & meridianu ad angulos rectos insistit, verticalem primum appellant, & quia, admaximos sphæræ circulos pertinet, horizontem bifariam dividit, omniaque loca, per quæ transit, nobis ad verum ortum, & occasum sita sunt: qua e re multa repetenda sunt in Geographia, quæ paradoxi speciem præbent.

Ex iisdem porro fontibus universæ Gnomicæ ratio derivatur. Horologiorum solarium simplissimum est æquinoctiale, in quo umbra in planum parallelum ad circulos diurnos solis projicitur a stylo, seu indice ad idem planum perpendiculari, & quia sol temporibus æqualibus æquales arcus in suo parallelo percurrit, etiam umbra in isto horologiorum genere motum uniformem habet, ut proinde intervalla horarum paria esse debeant, quod obtinetur, toto circuli ambitu in 24 partes æquales diviso. Reliquorum constructio e modo dictis haud difficulter intelligitur; verum præsentis operis institutum hæc tantummodo ut in transitu perfstringamus, admittit, dum interim luculentum habemus exemplum, qua venustate, quo polleat illico veritas, si animum advertamus, quam stupenda phænomenorum varietas e principiis tam paucis profluens (uti sunt figura telluris, ejusque motus diurnus cum axis inclinatione) sese nobis offerat, dum omnem terræ ambitum inde a zona torrida ad glaciales usque, vel inde ab æquatore ad polos mente perlustramus, ibique caloris & frigoris, dierum, noctiumque discrimina, siderum apparentes motus attendimus. Tam multiplex rerum species e duobus modo principiis adeo simplicibus deducta, non solum menti utilissimarum meditationum campum aperit amplissimum, sed etiam amænissima quadam imagine recreat, velut ipsis oculis hæc omnia subjecta haberemus, ut inde naturæ suis in effectis fœcunditatem agnoscamus. Et vero ea, quæ in globo nostro ab æquatore ad polos usque tam inter se diversa deprehendimus, velut in tabula quapiam immensa illam varietatem nobis de-

pin-

pingunt, quam in systemate toto solari ubivis obtinere arbitrari licet, a Mercurio inde, planetarum soli proximo, atque calidissimo, ad extremum usque Saturnum, qui de luce, caloreque participat minimum.

13. Quamquam ea, quæ ad doctrinam pertinent de sphæra, non tantum in systemate Copernicano, seu Pythagorico, sed etiam in Ptolomaico exponi possint, si in hoc fingamus, motu *Primi Mobilis* totum universum affici (sola terra, & quæ eam attingunt, demptis) & singulis diebus circa axem telluris gyrari; nihilominus hæc hypothesis posterior adeo cuilibet, qui judicio est integro, neque rationem sensuum arbitrio submisit, aut quæ natura offert, in religionem vertit, a vero aliena videtur, ut a plerisque rejiciatur. Cometarum motus per spatiâ illa cœlestia liberrime excurrentium ostendunt sane, haud alibi, quam in cerebro, orbes illos solidos effingi posse, neque ullum haberi aut motorem communem, quo universi moles secundum eos abripiatur, aut axem, circa quem vastissima hæc machina agatur. Dein vero portentosa illa velocitas, quam stellis fixit ab iis attribui necesse est, qui huic doctrinæ se addixerunt, cui non sit offendendi, qui, ad quam immania spatiâ universi compages porrigitur, ex æquo arbitrari possit? Telluri porro tantum honoris immeriti deferre, ab æquitate Philosophi abhorret plurimum, idque maxime, dum nobis perspectum est, corpora cœlestia pleraque, ipsumque adeo solem, circa axes suos revolvi. Intempestivum hoc excellentiæ studium efficeret profecto, ut siquidem in  
alium

alium quempiam e cœlestibus globis transferremur, illum ad eundem mox dignitatis gradum evehheremus, in quo nunc tellurem nostram possumus arbitramur, atque in eo universi centrum collocaremus. Præter hæc, & complura alia, quæ in rem præsentem afferri possent; pendulorum sub æquatore motus tardior, graduumque meridiani, si inde versus polum progrediamur, continuum augmentum, manifesto sunt indicio, dari quempiam nisum in corporibus abeundi a centro, seu vim centrifugam, quæ cum maxima sit sub æquatore, minuitur paullatim, dum sub polis expiret penitus, quod motum telluris circa axem suum extra omnem dubitationem ponit. Quare dum de corporibus cœlestibus agemus, motum diurnum, & apparentem intactum relinquimus, velut qui in tellure tantummodo locum habet: ut proinde analysis nostra, quæ ad caelarum motus in cœlestibus globis efficientium cognitionem nos perducet, rebus ipsis, non vero fallaci illi speciei, quam objiciunt oculis, innitatur.

14. Eorum, quæ de sphæricis attulimus, rationes in veris motibus contineri, facile ostenditur. Globi terrestres dimidium semper a sole colluстрatur, dimidium luce caret, quam circulus maximus ab umbra disternat. In loco quovis tum dies est, cum in parte illuminata versatur; nox vero, dum in altera a sole aversa revolvitur. Motus diurnus circa axem ab ortu in

in occasum fit , videturque sol tunc supra loci alicujus horizontem attolli , quando locus is ad lucis , & umbræ communem terminum ex parte occidentis advenit ; occumbere vero , cum locus eundem circulum ad orientem attingit . Puncto , in quo superficie telluris occurrit recta centra solis & terræ jungens , sol verticalis est , congruitque id cum medio , sive polo disci illuminati . Orbita annua , quam motu vero tellus , & apparente sol percurrit , est ecliptica ; & quia axis terræ hujus plano oblique insistit , æquatoriem secat ( sub angulo nempe  $23^{\circ} 29'$  fere ) , vocanturque puncta intersectionum *æquinoctialia* , in quibus , dum sol e terra conspicitur , recta centra utriusque globi connectens cum axe telluris angulum rectum constituit . Puncta *solfittalia* dicuntur , quæ ab illis prioribus  $90^{\circ}$  distant , ad quæ sol pervenit , quando maximam versus polos declinationem acquirit . Cum æquator , utpote circulus maximus , ab eo , qui umbræ ac lucis est terminus , secetur bifariam , consequitur , dies , noctesque sub æquatore æquales esse . Porro clarum est , sole nobis in cœli regione boreali apparente , polum septentriонаlem telluris semper in hemisphærio illuminato versari , ut proinde dies illic sit a verno ad autumnale usque æquinoctium continuus , quo nempe nox succedit usque ad veris redditum producenda . Oppositum continget polo telluris australi . Locus ex eadem parte æquatoris fitus , in qua ille est , cuius vertici sol imminet , majorem sui circuli ad æquatorem paralleli portionem in hemisphærio illuminato

Pp nato

nato revolutione diurna confidere debet, quam sit altera in hemisphærio obscuro percurrenta; unde dies noctem excedat, oportet; at vero, quando ex parte æquatoris altera est locus, contrarium prorsus eveniet, & nox die erit longior. Hunc in modum cetera phænomena, quæ ad sphærica revocantur, ex motibus veris derivantur, qui in hoc mundi syste-  
mate fiunt.

15. Atque hæc sunt, quibus breviter expo-  
nere visum est, quæ de gravitate corporum ter-  
restrium ante Newtonum Philosophis comperta erant.  
Et quemadmodum figuram telluris huic uni causæ  
adscribere debemus, ita observante rectissime Coper-  
nico (*a*), proclive sane est, si rationem sequamur,  
ut existimemus, simili quapiam vi in sole, ceteris-  
que planetis effici, ut figura eorum in motibus tam  
variis conservetur. Complures a diversis pertentatæ  
sunt viæ, variaque excogitata systemata, quibus  
principii hujus rationes, causasque explicatas darent,  
verum eventu semper sinistro. Cartesius per vim  
centrifugam materiæ suæ subtilis, circa axem terræ  
perpetuo gyrantis, nodum hunc dissolvere conatus  
est; verum jam alias hanc explicationem rejecimus  
(*b*). Alii magnetismi quandam speciem in subsidium  
vocarunt: at magneticarum, gravitatisque virium dis-  
crimen etiam in iis, quæ ad rei summam faciunt  
plurimum, sese ingens prodit. Alii rursus ad  
atmosphæræ pressionem confugerunt, licet tantum

ab-

---

(*a*) Lib. I Cap. 4 §. 4.

(*b*) Lib. I Cap. 3 §. 2.

absit, ut aer gravitatem in reliquis corporibus efficeret possit, ut etiam eorum pondus semper immunit. Verum quod ex his omnibus recte demum conficitur, illud est, hanc vim pertinere ad corpora omnia (quae quidem percipi possint) in telluris superficie, aut prope posita, in qua vi haec duo sint palmaria; primum, quod materiae in corporibus contentae modum omnino sequatur; alterum, quod nunquam interrupta, & aequali actione tum quiescentia, tum in motu constituta corpora afficiat: quorum postremum inde constitutum, quod in corporibus cadentibus aequali tempore aequalia fiant velocitatis incrementa. Hoc duplice charactere a causis mere mechanicis discernitur, quarum efficacitas a corporum superficie, aut volumine mensuram accipit, & quae semper minus celeritatis conferre possunt iis, quae jam motum conceperunt eadem directione, qua ipsae agunt, quam eodem tempore in quiescentibus efficerent. Sed dum haec de gravitate, illud non agimus, ut de causa quidquam decernamus, sed viam tantummodo ad ea sternimus, quae ex principii tam late per omnia corpora diffusi natura consequuntur.



## C A P U T II.

*Luna est corpus grave, non secus versus telluris centrum nitens, ac corpora terrestria.*

I. **C**um Newtonus perpenderet, quid quid corporum seu in telluris superficie, seu prope eam esset, a gravitate æqualiter affici, neque ejus vim, quantum quidem sensus nostri percipiunt, cum in altissimorum etiam montium cacumina concidunt, admodum minui, sed in ipsum etiam aerem ad extimos usque atmosphæræ limites diffundi, e nullius denique terrestris materiæ actione, quæ sub sensum cadat, ejus efficaciam derivari posse, in animum inducere non potuit, ut eam repente adeo abrumpi crederet; sed tot rationum momentis impulsus eo potius propendebat, ut existimaret, gravitatis principium longe latius patere, & ad cœlestia usque corpora extendi, ut ad lunam quoque, globorum cœleste sistema constituentium nobis proximum, pertineret. Quæ postremis hisce temporibus recens inventa sunt, etiam illud nobis detexerunt, quam absurdâ fit eorum opinio, qui cœlestia corpora e materia, cujus naturam ne-  
mo

mo unquam assequi posset, atque ab ea prorsus diversa, qua tellus nostra constat, composita esse volebant. At Philosophi deinceps discrimen tam palmarum sustulere penitus, quod originem suam non nisi superstitioni, aut vulgi erroribus debebat, jamque inter eos convenit, tellurem planetarum numero inferendam esse, quippe qui globi sint illi consimiles. Atque ut hæc inter corpora ista consensio pateret amplius, auctor noster demonstravit, ea constitui materia gravi & ponderante, ejusdem naturæ cum illa, e qua globus terrestris efformatur.

2. Effectus porro omnes, quos in terrestribus corporibus gravitas praestat, ad tres classes revocare licet. *Imprimis* enim corpus in quiete constitutum, cum terræ incumbit, aut chorda suspenditur, aut quavis demum ratione retinetur, nisum interim perpetuo ad motum vi gravitatis suæ exerit, quam tum quidem pressio adversus obstaculum, quod motum intercipit, metitur. *Secundo* dum corpus suo urgente pondere in recta verticali descendit, ejus motus continua celeritatis incrementis augetur, vi scilicet gravitatis nunquam non in illud agente; aut vero, si sursum in eadem recta projiciatur, motus retardatur continua gravitatis actione in oppositum nitentis: & hæc quidem dum fiunt, gravitas mensuram accipit ab acceleratione vel retardatione motus, qui efficeretur quovis dato tempore, illa interim constante, & uniformiter agente. At si corpus per planum inclinatum decurrat, vel ascendat, aut intra materiam quampiam resistentem moveatur, ut vera gravitatis mensura inveniatur, ad leges Mechanicæ superiore libro expositas recurrentum est. *Tertio* si corpus alia

quavis directione, quam in linea verticali projicitur, motus directio singulis temporis momentis mutatur, & nunquam interrupta gravitatis actione defertur in linea curva, vim gravitatis metiente ipsa curvatura viæ a corpore descriptæ. Quod si enim cetera paria sint, vis illa semper major est, quæ efficit, ut corpus magis deflectat a tangentie curvæ, seu a directione, qua ferri cœpit, cum projiceretur. Hi omnes tam diversi gravitatis effectus nunquam non prope telluris superficiem observantur. Eadem quippe vis, quæ corpora gravia reddit, atque prementia, dum quiescunt, motus velocitatem auget, dum descendunt in recta perpendiculari, efficitque, ut, cum projiciuntur alia directione, quam illa, secundum quam agit gravitas, curvam percurrant; at de viribus, quibus corpora cœlestia afficiuntur, aliunde judicium ferre non possumus, quam ab effectibus, quos tertio posuimus loco. Prope telluris superficiem corpora projecta rursus in eam relabuntur omnia: at simile quid si lunæ globus præstare deberet, ante sane rerum ordo perturbandus esset penitus. Quæ in aerem ejiciuntur, haud amplius in recta perpendiculari ad terram descendere videmus, sed ita relabi, ut a tangentie curvæ perpetuo descendant, sive ab ea directione, quam quovis momento temporis secuta fuissent, si tunc gravitas in ea non egisset: atque hoc gravitatis indicium in luna habemus: quamvis enim in tellurem minime decidat linea recta, observamus tamen eam quovis momento versus terram descendere, cum ab ea recta deflectit, juxta quam in principio cuiusvis tem-

tempusculi ejus motus dirigebatur, id, quod non minore certitudine actionem gravitatis, alteriusve vis huic similis in lunam evincit, quam lapsus perpendicularis, siquidem libere versus terram cadere posset.

3. Si qua nobis suppeteret machina, qua corporibus vis sufficiens imprimeretur, ejus ope non modo hæc ad ingentia intervalla, antequam in terram reciderent, ejaculari liceret, verum etiam tanta celeritate projicere, ut quadrantem circuli maxi-  
mi hujus globi percurrerent, imo si aer nihil obfisteret, ut circum totam tellurem, quin eam contingerent alicubi, ferrentur, atque cum ad locum, e quo moveri cæperunt, rediissent, denuo eadem vi, qua primum a machina impulsa fuissent, in circulum moverentur, itaque tertio, ac deinceps semper lunæ cujusdam, aut satellitis instar circa terram revoverentur. Jam vero id si prope telluris superficiem effici posset, sane etiam in majore atmosphærae altitudine idem præstaretur, quin in ea quoque, quam ipsa habet luna, modo machinam eo usque evehere, atque illic corpus quodpiam ejus ope, aut quavis demum vi in effectum hunc sufficiente impellere, in nostra potestate constitutum esset. Quod si porro vis major adhiberetur, majoris quoque molis corpus hunc in modum projicere liceret; & siquidem e proportione virium fieret accessio, pondus lunari corpore haud inferius primum quidem recta impelli posset, quod cum a via cæpta gravitate sua perpetuo detorqueretur, motum con-

continuum circa tellurem acquireret. Atque hunc in modum perspexerat Newtonus, motum lunæ in sua orbita, & corporum prope terræ superficiem projectorum curvilineas vias esse ejusdem fortis phænomena, quorum idem esset principium, a terra ad lunam usque actionem suam porrigenus, neque aliud inter corpora nostrata, lunamque intercedere discrimen, nisi quod hæc & mole præstet, & projectio-  
nis vim jam a mundi origine ab omnipotente Universi Conditore receperit.

4. At enim ut assertionis evidentia plane constaret, demonstrandum erat, vires, quibus tum luna, cum prope tellurem projecta corpora in curvis lineis moventur, idem respicere centrum, & non minus actionis quantitate, quam directione congruere. Quidquid de vi quipiam nobis constat, vel ad ejus directionem, vel ad quantitatem attinet, ut si quando in duabus quibusvis horum constans quædam confessio deprehendatur, id fundamentum præbeat tunc, phænomena hæc vel eodem censendi nomine, vel ejusmodi, quæ a causis efficiantur similibus, aut certe quorum causæ ad eandem revocandæ fint speciem. Quod autem corpora gravia nisum versus terræ centrum exerant, superiore Capite ostensum jam est; at quod etiam vis, quæ directionem motus curvilinei lunæ perpetuo mutat, ad idem centrum tendat, ex Astronomorum observationibus colligitur. Hi namque repererunt, lunam non describere accurate circulum, sed in elliptica, vel ovali orbita deferri, in qua jam proprius ad tellurem accedat, jam majore intervallo ab ea removeatur singulis revolutionibus

tionibus, atque id ita, ut cum centro hujus globi vicinior fit, motu velociore feratur; tardiore in recessu; quod indicio est, eam ejusmodi agi viribus, quæ vel accurate in centrum telluris dirigantur, vel certe non longe ab eo aberrent.

5. Verum majoris claritatis causa fingamus, corpus quodpiam linea recta projici, quod nulla nova vi agente in ea recta ita progrederetur, ut secundum primam motus legem spatia æqualia æqualibus temporibus conficeret: & si porro cogitetur, e puncto aliquo fixo extra lineam illam sito ad corpus hoc semper duci rectam, dum interim æqualia intervalla intra idem tempus percurrit, is radius verret areas triangulares temporibus æqualibus æquales (a), quippe quarum bases æquales in corporis dire-

(a) Totum id innititur illi propositioni perquam notæ, quod triangula super eadem, vel æqualibus basibus eandem altitudinem habentia, æqualia sint, e qua imprimis facile deducitur, quod si, corpore in recta A F (fig. 52) uniformiter progradiente, atque partes æquales A B, B C æqualibus temporibus percurrente, semper ducatur radius ab hoc corpore ad punctum datum S, triangula A S B, B S C æquari debeat, quod bases A B, C B sint æquales, idemque communis vertex in S. Deinde si cogitetur vis quæpiam in corpus agere, dum in B est, versus S tendens, atque corpus in E translatura (si sola ageret) tempore eodem, quo motu uniformi spatiū B C defcribit, fiet, ut corpus percurrat diagonalem B D parallelogrammi B E D C æquali tempore, radiusque e corpore ad punctum S ductus verrat triangulum B S D, æquale cum B S C, quippe quæ eandem habeant basin B S, & sint intra parallelas B S, C D, ut

directione fint, & vertex communis in puncto illo immoto. Sed concipiatur vis quædam ad idem punctum fixum tendens in corpus agere; feretur tum quidem deserta prima sua motus linea in nova directione; at area, seu spatium, quod linea e corpore ad idem punctum fixum ducta verrit, æquale prorsus erit illi, quod eodem tempore percurrisset idem radius; si vis hæc nova nihil egisset. Nam spatia hæc sunt triangula, quorum basi communis est prior corporis a puncto fixo distantia, & quæ intra easdem parallelas continentur. Itaque vis versus punctum fixum agens, nihil mutationis adfert areæ, seu spatio, quod radius e corpore ad illud punctum ductus verrit; & quamvis motum corporis seu acceleret, seu retardet, areæ tamen huic nihil inde vel demitur, vel accrescit; ut proinde radius ille vector circa punctum datum æquales semper areas æqualibus temporibus verrere perget, quemadmodum id fecisset, si nulla nova vis corpori accessisset, libere atque uniformiter in prima projectionis linea progradienti.

6. Ut vero unicus versus punctum datum impulsus magnitudinem areæ, vel spatiæ a radio vectore confecti nihil mutat, ita nec quovis successivorum

---

ut proinde area a radio percursa illi æqualis sit, quam confecisset, nulla vi in corpus S agente. E quo clarum fit, areas, quas radius verrit, nec augeri, nec minui actione virium corpus versus S impellentium, ideoque radius e corpore ad punctum S ductum etiam deinceps semper æquales areas verrere temporibus æqualibus, si nulla præterea uperveniat vis, quam quæ corpus versus S dirigit.

rum impulsuum versus idem punctum numero efficitur, ut seu longiore, seu breviore tempore ad eam percurrentiam opus sit: & siquidem continua ponatur esse actio, corpus in curva deferet ejus motus celeritate aucta, vel imminuta, quin tamen mutationis quidpiam adferat areæ tempore dato a radio percurrentæ, qui e corpore ad datum punctum ducitur: hæc proinde nulli variationi manebit obnoxia, semper illi æqualis, quam eodem tempore everreret radius, si corpus uniformiter motum in linea recta jam ab initio continuasset.

7. Conversa hujus theorematis propositio nos docet, æquale arearum incrementum, quas radius corpus cum puncto dato connectens percurrit, argumento esse, quod vis in corpus agens, atque ejus motum in curvam inflectens, in idem punctum dirigatur. Facile enim intelligitur, vi illa in alterutram ab hoc puncto partem nitente (a) aream a radio e puncto fixo ad corpus ducto descriptam, aut maiorem futuram, aut minorem: unde si circa punctum illud areæ æqualibus temporibus æquales semper verantur, certi esse possumus de vis illius in idem punctum directione. Si corpus motu æquabili in circulum ageretur, ut arcus æquales æquali temporis spatio absolveret, areæ eodem tempore a radio circuli

Q q 2

cor-

---

(a) Si nova quæpiam vis ageret in corpus B, dum ad B pervenit, atque dirigeretur in alterutram puncti S partem, corpus B eodem, quo prius tempore haud esset in recta C D, sed vel ultra, vel citra eam, ut proinde area a radio vectore ex S ad corpus ducto descripta vel major, vel minor fieret, quam B S C.

corpus cum centro connectente confectæ æquales forent, neque dubium esse potest, vim, quæ motum curvilineum in corpore efficit, versus hoc centrum dirigi; ad quodvis enim aliud punctum si tenderet, fieret sane, ut celeritas corporis eadem ratione creceret, vel decresceret, qua vel ad punctum illud accedit, vel ab eo recedit. Pluribus hæc propositio exponenda nobis fuit, quando tantum Philosophiæ nostræ interest, ut rite animo comprehendatur. Hinc porro discere licet, vim, qua luna in orbita sua retinetur, in centrum telluris niti, quod areæ, quas radius e centro hujus globi ad lunam ductus æquibus temporibus verrit, inter se æquales fint, motusque hujus planetæ velocior, aut tardior, ut terræ vel vicinior fit, vel longius ab ea distat. In sequentibus patebit, exiguum quandam arearum istarum inæqualitatem apprime ab Auctore nostro facere, nonumque ejus Philosophiæ pondus addere.

8. Est igitur vis quædam, quæ in lunam agit, gravitati similis, & in telluris centrum directa. Ut autem hæc efficit, ut luna singulis momentis temporis a directione sua versus terram deflectat, ita projectionis motu sublato eam penitus in terram daret præcipitem; & quoniam præterea actione continua, & nunquam interrupta ejus motum afficit, directionem in lineam curvam perpetuo inflectens, celeritatem inter cadendum continuis augmentis, non secus, ac corporum gravium, cum deorsum labuntur. Illud tantummodo reliquum est, ut ostendatur, hanc vim in lunarem globum tam efficacem non minus in actionis quantitate, ac in ceteris omnibus, cum gravitate accu-

accuratè convenire. Priusquam tamen duas hasce vires inter se componamus, observandum nobis est, eam, quæ in lunam agit, haud in omnibus a tellure distantiis, æqualem esse, sed eo majorem, quo telluri fuerit propior. Veritatem hujus quisque facile comperiet, si cogitet, ut mutatio inducatur motui in linea curva, majore vi opus esse, si major sit corporis velocitas, quam si cum minore celeritate eandem curvam describat. Quod quamvis per se admodum clarum sit, hunc tamen in modum magis adhuc illustrari potest: esto recta quædam (fig. 53) Fig. 53. arcus exigui extreum tangens, quem corpus mox percurrit; & quia hac recta progressum fuisse, nulla nova vi in illud agente, depresso alterius arcus extreimi infra hanc lineam efficaciam actionis metitur, necesse est. Porro evidens est, quando eadem est arcuum curvatura, longioris arcus extreum alterum magis a tangente in altero extremo discedere quam brevioris, ideoque corpus longiore arcum eodem tempore percurrentis majore vi a tangente retrahi, ac quod arcum breviorem describit. Jam vero quo luna telluri vicinior fit, eo magis ejus motus crescit, & in minore distantia semper velocitate majore fertur, quæ minima est, dum ad distantiam maximam pervenit; arcus itidem, quos in maxima ac minima distantia describit, eandem habent curvaturam, quare ut vis in lunam agens in minore distantia, quando majorem habet celeritatem, major sit, oportet.

9. Neque jam difficile fuerit legem cognoscere, secundum quam vis isthæc in maxima, minimaque a tellure distantia mutetur. Et ut investigatio expeditior

tior sit, rem in exemplo planissimo consideremus, fingamusque, distantiam minimam esse maximæ dimidiæ. Id si esset, luna cum distantiam minimam nacta foret, dupla celeritate moveretur, ut area a radio vectore lunam cum terra conjungente percursora æqualis esset areæ, quam æquali tempore similis radius verreret luna ad maximam distantiam delata, atque adeo ut in minima distantia tempore unius minutæ conficeretur arcus illi æqualis, qui intra duo minuta describeretur in distantia maxima, tantumque luna in extremo arcus percursi in perigæo post unum minutum a tangente distaret, quantum ab eadem deflechteret post duo, cum in orbita sua ad apogæum perveniret: hinc projectionis vi cessante in distantia minima, tempore unius minutæ tantum spatiï versus terram labendo conficeret, quantum intra duo minuta emetiretur, si in distantia maxima idem projectionis motus tolleretur. Sunt autem per ea, quæ Lib. II CAP. I §. II demonstrata sunt, spatia a corporibus gravibus cadendo confecta, ut temporum quadrata, illudque alterius est quadruplum, quod tempore duplo describitur, ac proinde luna in maxima distantia libere sibi relicta tempore duorum minutorum per quadruplum illius spatii descenderet, quod intra unum minutum percurreret: unde conficitur, lunam e distantia minima versus terram recta labentem quadruplo majus spatium decursuram, quam eodem temporis intervallo e distantia maxima cadens describeret. Atqui si tempora æqualia, & exigua sumantur, corporum gravium labentium vires sunt in spatiorum ratione, quæ hisce agentibus conficiunt: igitur vis in lunam agens, cum minimam nacta est distantiam, illius

illius est quadrupla, qua urgetur in distantia maxima, si hæc ponatur minimæ dupla, id est, virium ratio erit 4 ad 1, si distantiae fuerint ut 1 ad 2. Ex his palam fit, vim, quæ lunam ad motum in orbita curvilinea peragendum cogit, augeri, cum minore a terra intervallo abeat, ut in quadruplam excrescat, hoc ad dimidium reducto; & eadem prorsus ratione ostenderetur, si maxima distantia esset minimæ tripla, ut arearum æqualitas, quas radii centrum telluris cum hoc planeta jungentes everrent, conservaretur, vim in eum agentem in distantia minima, idem effecturam intra minutum unum quod intra tria præstaret in maxima; ita quidem, ut si ex utravis libere posset descendere versus nos, novies majus intervallum in minima percurreret, quam eodem tempore in maxima, ut propterea vis, cui descensus deberetur, in subtripla distantia foret non-dupla; five ratione distantiarum sumpta 1 ad 3, vires gravitatis in utravis agentes essent ut 9 ad 1, quæ est ratio inversa duplicata distantiarum. Universæ denique ratione distantiarum quavis majore, vel minore assumta, consimili ratiocinandi methodo eruerunt, velocitates planetæ in orbita sua revoluti semper eandem secuturas, vires autem ipsas eum in curva retinentes fore in reciproca duplicata.

10. Exhibeat generatim T (fig. 53) centrum telluris, ALP orbitam lunæ ellipticam, A apogæum, P perigæum; AH, PK fint tangentes in iisdem punctis; AM, PN arcus exigui a luna in his distantias versante æquali tempore percursi; MH, NK subtendant angulos contactus, occurrentes tangentibus in H & K: erunt MH, & NK

Fig. 53.

æqua-

æquales spatiis, quæ luna libere e punctis A & P cadendo eodem tempore conficeret, atque in ratione virium in lunam illic agentium, ejusque motum a directione rectilinea in curvam inflectentium. Sumatur Am æqualis arcui PN, & agatur bm ad AP parallela, quæ tangentem in A fecet in punto b. His ita constitutis, cum eadem sit ellipsoes in A & P curvatura, erit mb æqualis cum KN, & si quidem luna libere cadere posset e locis P & A versus tellurem, effectus gravitatis in P tanto major esset, quam in A, quanto mb major est, ac MH : est vero mb spatium, quod luna vi gravitatis in A libere describeret eo tempore, quo motu projectionis conficeret Ab ; & MH est spatium, per quod vi gravitatis in A libere caderet, quo tempore projectione ferretur per AH : quare cum hæc spatia sint ut temporum quadrata, sequitur, esse mb ad MH, ut quadratum rectæ Ab ad quadratum rectæ AH, seu quod areæ TAH, TPK sint æquales, ut quadratum TP ad quadratum TA; est itaque gravitas in P ad gravitatem in A, ut quadratum TA, quadratum TP, hoc est, gravitas lunæ in terram ad crescit in ea ratione, qua quadratum distantiae a telluris centro decrescit. Newtonus tum ex directione vis in lunam agentis, tum ex ellipsoes natura, hujus legis demonstrationem ad distantias quilibet Planetæ extendit; & e curvæ hujus affectionibus eruitur, quod si sumantur arcus exigui, quos æquibus temporibus luna conficit, cuiusvis arcus extremum alterum tanto magis infra tangentem in altero extremitate versus terram inflectatur, quanto minus est quadratum distantiae a foco. Unde consequitur, vim,

quæ

quæ e spatio inter arcus extremum & tangentem metienda est, in eadem esse ratione.

11. Ex Astronomorum observationibus discimus, lunæ orbitam haud multum a circulo abesse, cuius radius telluris semidiametrum sexagesies contineat, indeque etiam peripheria sexagesies major sit circulo terræ maximo, cuius magnitudinem Mathematici Galli 123249600 pedum Parisinorum repererunt, e qua citra negotium circumferentia lunaris orbitæ innotescit, quæ cum tempore 27 dierum, 7 horarum & 43 minutorum percurratur, quem arcum luna intra unum minutum conficiat, plano admodum calculo inventur. At enim illud indagandum est, quantum hic arcus infra suam in altero extremitate tangentem deprimitur: & quoniam Geometria nos docet, id spatii esse terminum tertium continue proportionalem ad orbitæ diametrum, & arcum minuto uni respondentem, facili supputatione, esse  $15\frac{1}{2}$  pedum mensuræ Parisinæ patebit. Tantum igitur luna spatii gravitate in terram percurrit, quæ proinde vis in distantia sexaginta semidiametrorum terrestrium efficit, ut tempore unius minuti luna  $15\frac{1}{2}$  pedibus Parisinis descendat. Verum, ut quantum in globi nostri superficie ageret, intelligamus, fingamus eam esse lunæ orbitam, ut in minima sua distantia prope ipsam telluris superficiem transiret. Enim vero id si fieret, sexagesies magis ad centrum accederet, & sexagesies majore velocitate ferretur, ut areæ, quas radius e Planeta ad centrum terræ ductus verret, æquales permanerent. Unde luna, cum in minima distantia ad telluris superficiem veniret, in-

Rr

tra

intra unum secundum temporis (seu partem minutus sexagesimam) arcum percurreret illi æqualem, quem in distantia media, qua nunc a nobis abest, non nisi intra minutum describit, tantumque secundo unico a tangentie arcus in altero extremo deflechteret, quantum nunc in vera sua orbita intra minutum; id est, minuto secundo  $15 \frac{1}{2}$  pedibus Parisinis prope tellurem descenderet. Atqui tantundem accurate spatii terrestria nostra corpora gravitate sua hic apud nos emetiuntur, uti superius e certis observationibus retulimus: quare luna eadem prorsus velocitate, eodemque modo in globi nostri superficie descenderet, ac corpora quævis in terram gravia, quantum quidem nos assequi possumus. Et cum tam directione, quam actionis quantitate vis, qua lunæ motus regitur, cum gravitate corporum nostrorum congruat, nec minus continua, & nunquam interrupta agendi ratione cum gravitate consentiat, necesse est, ut vis hæc utraque ad eandem revocetur speciem, & ex causa eadem originem ducat.

12. Ea, quæ modo exposuimus, etiam hunc in modum supputari possunt. Quoniam lunæ distantia media a centro telluris sexagesies excedit distantiam corporum gravium in superficie globi nostri constitutorum, & ejus gravitas crescit in ratione quadrati distantiae decrescentis a terræ centro, hæc  $60 \times 60$  vicibus, seu  $3600^{ies}$  major foret prope superficiem telluris, quam nunc sit in distantia media, & propterea efficeret, ut luna in telluris superficie  $60 \times 60 \times 15 \frac{1}{2}$  pedes Parisinos tempore unius minutti percurreret. Sed enim eadem vi agente  $60 \times 60$

60<sup>ies</sup> minus spatii conficeretur uno minuto secundo, quam intra minutum primum, uti ea nos docent, quæ frequenter in corporum gravium descensu observata sunt; igitur luna sua gravitate prope telluris superficiem labendo intra minutum secundum  $15 \frac{1}{2}$  pedes Parisinos percurreret, vi scilicet accurate eadem cum corporum terrestrium gravitate.

13. Hac igitur ratione Newtonus demonstravit, gravitatis principium ad lunam sese extendere, atque hunc planetam æque gravem esse, ac id constante experientia de corporibus ad tellurem pertinentibus docemur; lunam denique eadem agente causa in orbita sua retineri; quæ facit, ut lapis, globus, aut quod demum cunque corpus in aerem projectum curvam describat. Quod si luna, aut pars ejus quæpiam, inde in tellurem nostram transferri posset, atque ut corpus aliquod terrestre eadem directione, eademque velocitate projici, curvam eandem prorsus describeret; ac vicissim, si quod e tellure corpus ad lunæ distantiam evectum, inde directione, & celeritate, qua luna, projiceretur, in lunæ orbita pari cum velocitate moveretur. Itaque luna nil aliud, quam corpus quoddam projectile est, & corpus quodvis project e imago lunæ cujusdam, aut satellitis. Phænomenorum vero istorum tanta est consensio in omnibus, ut manifestum sit, ea ex causa eadem profici sci.

## C A P U T III.

*De systemate Solari , nec non Planeta-  
rum , stellarumque fixarum par-  
allaxibus.*

I. **P**ostquam gravitatis actionem a telluris super-  
ficie ad lunam usque, & ulteriora quæque  
spatia ita extendi ostendisset, ut secundum  
eam constantem legem decresceret, qua distantiarum  
quadrata augmentur, nequaquam hic gradum fixit au-  
ctor noster; verum ut pleraque majoris momenti in-  
venta in hoc universi theatro nobis naturam veluti  
in novam educunt scenam, qua sese nobis spectan-  
dam præbet; ita rei tam fœcundæ, de qua jam egi-  
mus, detectio in manibus tanti Philosophi, quantus  
erat Newtonus, sterilescere minime poterat. Lunæ  
gravitas ei viam ad universalem materiæ omnis gra-  
vitationem cognoscendam aperuit, illiusque Planetæ  
motuum tam feliciter inde expedita ratio, eum ne-  
quaquam in deducendis ex eodem principio reliquis,  
qui in systemate universo solari peraguntur, motibus  
curvilineis adhærescere sivit. Tellus neutiquam ut  
centrum spectari potest, circa quod corpus aliquod  
cœleste revolvatur, lunam si demas; & id quidem  
systema, quod globi hi duo constituunt, in vastissimis  
illis

illis solaris systematis spatiis, secundarii cujusdam tantummodo, & ut ita dicam, *subalterni* rationem habet. Inferiores Planetæ, *Mercurius* & *Venus*, terram suis orbitis haud complectuntur, sed ita manifeste circa solem revolutiones suas peragunt, ut quandoque longius a nobis, quam sol, absint, alias inter nos & globum illum transeant; at vero soli nunquam opponuntur, sive ab eo nunquam ultra certæ magnitudinis arcum discedunt, quem elongationem eorum maximam appellant. Planetæ superiores, *Mars*, *Jupiter*, & *Saturnus* equidem ejusmodi percurrunt orbitas, quæ tellurem ambitu suo contineant; verum motus eorum ita comparatos videmus, ut si ad tellurem referantur, extra omnes pene leges vagentur, ut proinde terram haudquaquam eorum centrum constituere possimus. Etenim cum quandoque ab occidente in orientem in orbitis suis progredi videantur, alias stationarii, seu motus expertes apparent, dum rursus retrogradi fiant, seu viam ab ortu in occasum remetiantur. Exerrationes ejusmodi, quamvis diversis in Planetis diversæ, tales in unoquoque prorsus sunt, quales, ut nobis exhibeantur, motus telluris in sua orbita requirit.

2. Planetæ itaque omnes circa solem motus suos constante quadam lege peragunt, ab occasu in ortum orbitas ellipticas in eodem prope plano fitas, & quarum focum alterum sol occupat, peragrantes, quanquam non nullæ proxime ad circulares accedant. Mercurius infimum tenet locum, atque maxima velocitate in omnium minima orbita intra duos menses, & viginti octo dies revolvitur. Hunc Ve-

R r 3 nus

nus ordine in systemate excipit, quam Hesperi, Phosphorive nomine insignimus, uti solem seu ex orientis, seu ex occidentis parte comitatur, ideoque ejus occasum aut sequitur, aut prævertit: orbitam hic planeta tempore septem mensium, & dierum quindecim percurrit. Sed supra hunc utrumque tellus cum suo satellite luna orbem annum describit. Mars terra superior primus est, cuius orbita, quam intra anni, decem mensium, & viginti duorum dierum spatum emetitur, cum sole globum nostrum ambiat; tum multo adhuc altior, atque ad ingentem distantiam Jupiter cum quatuor suis satellitibus, spatio annorum undecim, decem mensium, & quindecim dierum semel revolvitur. Supremus denique omnium Saturnus quinque satellitibus, ac peculiari præterea annulo quodam cinctus uti in orbita vastissima, ita motu lentiore defertur, nec nisi viginti novem annorum, quinque mensium, viginti dierum tempore ejus ambitum absolvit.

3. Si mediocrem terra a sole distantiam in 100 partes æquales tribuamus, Mercurii, Veneris, Martis, Jovis, & Saturni distantias mediis ex ordine obvenient id genus partes, 38, 72, 152, 520, & 954 propemodum. Aut si major in iis petatur accuratio, terræ distantia media in 100000 partes divisa, singulis priore serie enumeratis competent partes 38710, 72333, 152369, 520096, 954006

Potro Mercurii & Veneris distantiae elongatione eorum maxima a sole reperiuntur. Cogitetur Fig. 34. (fig. 54) sol in S positus, tellus in T, & veneris orbi-

orbita AVB accurate circularis, quam in V tangat TV; erit V locus Veneris, dum maximam habeta sole elongationem, & cum triangulum SVT sit ad V rectangulum, est ST, distantia terræ a sole, ad SV, distantiam Veneris ab eodem, ut radius ad finum anguli STV elongationem maximam metientis. Hac itaque methodo Planetarum inferiorum distantiae a sole cum ea, quam tellus habet, conferri possunt. Verum superiorum Planetarum distantiae ex eorum retrogradatione, & satellitum eclipsibus, si quos habeant, eruuntur. Exempli causa si Jovis in I (fig. 55) constituti centrum jungatur cum centro solis S recta SI, hac in M producta, congruet I M cum axe umbræ a Jove projectæ, cuius situs ex observatis satellitum eclipsibus determinatur, tenditque ad locum Heliocentricum Jovis, id est, ad eum, in quo e sole visus appareret. Producatur TI, telluris & Jovis centra connectens, usque in N, exhibebit N locum Jovis Geocentricum, sive illum, in quo hærere videtur, si e tellure spectetur. Utriusque hujus loci differentia mensuram anguli NIM, vel TIS præbet; angulus vero ITS, seu Jovis a sole elongatio, ut quidem spectatori in tellure T posito appetet, facile ex observatione reperitur: unde notis singulis angulis trianguli TIS, ratio laterum habetur, eadem nempe, ac quæ inter finus angulorum intercedit, ut proinde ratio de SI, seu Jovis distantia a sole, ad ST, distantiam terræ ab eodem, non possit non esse comperta. Demum angulus TIS is est, sub quo semidiometer orbitæ telluris vide-retur e loco I, seu est elongatio terræ a sole, qualis ab observatore in Jove constituto inveniretur.

4. Dif-

4 Diffuse admodum capite primo hujus libri exposuimus, qua ratione ex parallaxi, quam vocant, diurna, five angulo, sub quo telluris semidiameter e corpore quovis cœlesti videretur, planetarum distantiae reperiri possint; atque hujus methodi ope lunæ a nobis distantiam cum globi nostri semidiametro conferre licet; Veneris quoque, & Martis distantia minima, cum ad eam pertingunt, e parallaxi æstimatur. At ceterum accidit plerumque, ut telluris semidiameter cum immanibus illis corporum cœlestium intervallis collata tam exigua sit, ut angulum, sub quo ex iis distantias appareret, instrumentis nostris haud satis accurate metiri liceat, id, quod Astronomis necessitatem attulit, aliorum quoque inventorum adminiculis utendi. Dum Aristarchus ad reperiendam solis distantiam tempus observari voluit, quo disci lunaris dimidium ab eo globo illuminatur, specimen quoddam methodi præbuisse videri potuit, in qua semidiameter orbitæ lunæ in locum semidiametri terræ substitueretur. Exhibeant S & T (fig. 56) solem & terram, L locum lunæ, cum TL rectæ SL ad angulos rectos insistit; quo nempe tempore nobis lunæ discum circulus, qui communis est umbræ & lucis in ejus globi superficie terminus, secat bifariam; evidens sane est, fore tum TS, terræ a sole distantiam, ad TL, distantiam lunæ a terra, ut est radius ad sinum anguli LST, compleimenti scilicet alterius STL, five elongationis, quam id temporis luna e sole habet. At enim hæc metiendi ratio, magna licet cum ingenii laude excogitata, evenitu sperato caruit, quod facile adverterint Astronomi, cum in usum redigenda est, viam haud patere tan-

Fig. 56

tanta cum accuratione reperiendi temporis, quo lunaris disci dimidium collustratur, quanta eam in rem postulatur. Illud interim ex ea constituit, lunæ a terra distantiam bene multis vicibus ab illa excedi, quam sol habet: clarum quippe est, quo angulus  $STL$  recto propior est, eo intervallum  $ST$  majus futurum, si cum  $TL$  componatur; & siquidem  $ST$  infinitum evaserit, angulum  $STL$  in rectum defitum. Jam vero cum Astronomis difficile admodum accidat, inter angulum  $STL$ , & rectum discrimen accurate statuere, sive inter tempus, quo medium lunæ discum lumen occupat, & inter tempus quadraturæ, consequens est,  $ST$  multo majorem esse quam  $TL$ .

5. Quoniam itaque Astronomi nihil opis repererunt in parallaxi diurna seu ad invenienda, seu ad comparanda inter se maxima illa intervalla in spatiis cœlestibus, quod telluris semidiameter pro hisce dimensionibus basin præberet nimis exiguum, ad parallixin annuam, uti appellant, confugerunt. Quare loco semidiametri telluris, ipsius orbitæ, quam terra circa solem anni spatio decurrit, semidiametrum adhibent, & cum in binis prius stationibus binos constituisserunt observatores, alterum in superficie, in centro terræ alterum; nunc postremi vice is fungitur, quem in sole fingunt constitutum. Atque sic demum tantæ magnitudinis basin obtinent, ut intervalli cuiuslibet in systemate solari metiendi, portio-  
nis non exiguae rationem habeat, cuius ope ex ac-  
curatis observationibus deductas distantias inter se  
quoque comparare liceat. Et quemadmodum, cum

Ss paral.

parallaxi diurna uterentur, intervalla corporum cœlestium semidiametro telluris conferebant, reperto angulo, sub quo in iisdem apparitura erat; ita prorsus annua parallaxi ad usum vocata maximas planetarum a sole distantias cum orbitæ telluris semidiametro contendunt, invento pariter angulo, quem ex iisdem intuenti subtendere videretur. Hic porro angulus major esset, si quis spectator in Martis globum transferretur, quam si ad Jovem usque removeretur; & in hoc planeta major item foret, quam in Saturno: ut proinde ea semper ratione decrescat, qua distantiae augentur, dum tandem minor evadat in immensis illis intervallis, quam qui instrumentis, quæ maxima accuratione elaborata habemus, percipi possit. Repræsentetur (fig. 57) in I corpus quoddam systematis cœlestis remotius; A sit locus orbitæ telluris inter solem S & corpus I versantis; IT tangat orbitam terræ, quam interim circularem fingamus. Cum tellus ad A delata fuerit, corpus I ad eundem locum referemus, in quo e sole videretur; at vero ad T progressis nobis, si corpus I motu caret, in recta TI constitutum apparebit, facta interim retrogradatione per arcum, qui angulum TIS metitur, eundem nempe; quem ad I semidiameter orbis anni subtendit, qui si observatione inventus fuerit, erit ejus sinus ad radium, uti est ST ad SI, hoc est, ut distantia terræ a sole ad distantiam corporis I ab eodem, cuius analogia perfacilis est ex Trigonometria supputatio. Verum si corpori I suus itidem sit motus, hujus cum primis rationem habere oportet, ubi de ejus magnitudine per observationes constiterit.

Et

Et apparentis quidem nobis motus speciem, si quem habeat corpus, hunc in modum exponere licebit. SI producta occurrat in M superficie sphæræ coelestis, ad quam stellas fixas referimus; tangentes vero orbitæ **T I**, **t I** ad eandem pertingant in **N** & **n**. Finge jam, corpus **I** intra limites **N** & **n** continuo eundo & redeundo oscillationes quasdam penduli ritu peragere, cum interea ipse hic arcus **N n** motu corporis **I** proprio, atque secundum ejusdem directionem, in superficie **B M E** abripiatur. Quod si **I** exhibeat Planetam quempiam, arcus **N n**, mensura anguli **N I n**, vel **T I t**, quanta ejus sit retrogradatio, ostendit; cuius dimidio **S I T** cognito, ratio **S I** ad **S T**, uti supra, reperitur.

6. Complura nobis suppetunt argumenta, quorum non nulla §. 1 & 2 indicavimus paucis, ob quæ in systemate Pythagorico, a Copernico restituto, motum annum non soli, sed telluri tribuimus. Quod si tempora periodica Planetarum primiorum, eorumque a sole distantias, uti etiam tempora periodica satellitum, qui circa Jovem, & Saturnum revolvuntur, cum eorum distantias a suis primariis conferamus, ea lex universe in systemate solari obtinere videtur, ut si corpora varia circa centrum quodpiam orbitas suas describant, quadrata temporum periodorum augeantur in ratione cubica distantiarum ab eo centro; hoc est, crescant in majore ratione, quam distantiae, non tamen in tanta, ac harum quadrata, sed accurate ut ea distantiarum potentia, cuius exponentis est,  $1\frac{1}{2}$ , sive ut numerus inter eos medius

proportionalis, quorum alter distantiam, alter ejus quadratum exprimit. Jam qualemque quis systema amplectatur, semper tellus constituenda est centrum motus lunæ. Quod si etiam sol circa tellurem revolutiones suas perageret, nil magis proclive esset, quam ut quis existimaret, etiam in eorum temporibus periodicis, & distantiis inter se collatis legi generali locum esse, seu quadratum temporis 27 dierum, 7 horarum & 43' fore ad quadratum 365 dierum, 6 horarum & 9', ut est cubus distantiae lunæ a terra ad cubum distantiae solis ab eadem, qua proportione inita, facile solis distantia obtingeret, quæ paullo magis, quam  $5\frac{3}{5}$  vicibus, excederet lunæ distantiam, cum tamen e parallaxeos diurnæ exilitate sit evidens, solem plures centenis vicibus longius a terra abesse, quam lunam. At vero si cum Copernico orbita telluris circa solem inter eas constituantur, quas Venus, & Mars describunt, communem eam legem temporum periodicorum, & distantiarum a sole ad omnes Planetas pertinere patebit, neque ulla exceptione systematis consensionem interturbari. Retrogradationes porro, stationesque Planetarum, & quævis demum tam motuum, quam distantiarum apparentes exerrationes, plurima nobis argumenta adversus Ptolomæi sistema subministrant, in quo ea phænomena aliam explicationem haud recipiunt, quam quæ e compluribus orbibus solidis, variorumque epicyclorum inter se se implicantum ingenti numero repetitur, quæ res parum admodum simplici illi Naturæ elegantiae congruit.

Illud

Illud quoque hac in re tenendum, id genus inæqualitates diversis in Planetis diversas esse, at tales in singulis, quales ut appareant, ratio motus telluris anni exposcit. Ingens solis moles, maximumque emolumentum, in omnia reliqua systematis mundani corpora ex eo redundans, quod velut jus quoddam prærogativum, ut centrum occupet, eidem tribuit, adeo sunt luculenta, ut pluribus exponi haud debeant. Evidem tellus, & Planetæ eum in finem circa solem revolvuntur, ut lucem, caloremque inde participant; at nulla prorsus sese offert nobis ratio, ob quam sol potius cum Planetis circa tellurem moveantur.

7. Unum modo est, ut expendatur, dignum, quod annuo telluris motui officere videtur, quod scilicet nulla in stellis fixis parallaxis annua deprehendatur. Sit  $T A t$  (fig. 57) orbita telluris circa solem  $S$ ,  $T X$  axis terræ, &  $t x$  ad  $T X$  parallela exhibeat situm ejusdem axis in puncto opposito  $t$ . Ponatur  $T X$  dirigi versus stellam  $P$ ; evidens est, axem terræ haud amplius versus eandem stellam respicere, cum in  $t x$  fuerit translatus, sed efformare angulum  $x t P$  cum recta  $t P$ , quæ terram cum stella conjungit, æqualem angulo  $t P T$ , sub quo diameter  $T t$  orbitæ annuæ spectatori in stella  $P$  constituto appareret. Facile hinc quis in animum induxit, ut credat, nos observata hac stella  $P$  in diversis orbitæ locis  $T$ ,  $t$  (quæ vicem binarum stationum subeant in resolutione Problematis, quod omnium fortassis, quæ Geometria Practica habet, maxime sublime est) nos, inquam, e di-

verso stellæ situ , quo in binis hisce stationibus nobis conspicua sit, de angulo  $T P t$  decernere posse, ideoque etiam de ratione, quæ inter  $TP$ , stellæ distantiam , &  $T t$ , diametrum orbitæ , five duplam telluris a sole distantiam , intercedit. Attamen certum est , Astronomorum perspicaciam penitus adhuc effugisse omne discrimen, quod apparens stellæ situs five cum axe telluris comparatus , five secum ipso, habeat, cum e diversis locis spectatur , quodque in telluris motum refundi posset ; quanquam revocato in usum Pythagoræo hoc dogmate complures fuerint , qui summa cum industria rem istam sibi examinandam putarunt. Verum quod adversariorum huic argumento nervos omnes succidit , illud est , quod tanta sit stellarum fixarum distantia , ut orbitæ telluris diameter nullam penitus , quæ percipi possit , ad eam rationem habeat , ac propterea angulus  $TPt$  nullo queat instrumentorum genere , quæ accuratissima habere possumus , observari. Neque enim immensa hæc stellarum fixarum distantia vel ex arbitraria hypothesi , vel eo solum fine excogitata est a Copernicanis , ut adversus se allatæ rationis vim eluderent ; sed quo jure semel ea corpora soli nostro similia statuerunt , eodem ad tam immania intervalla a nobis sejungere debuerunt , quando & tam parum luminis ad nos transmittunt , & tam exiguae apparent diametri , quæ neque maximis telescopiis possit percipi. Quod si totum hoc intervallum inter stellam quampiam interjectum fingamus in 300 æquales partes sectum , & spectatorem 299 ejusmodi partibus versus illam progressum , videbit equidem stellam

Iam vivaciore multo lumine radiantem, at diametri augmentum haud sentiet, cum ad postremum divisionis punctum pervenerit, sive ex  $\frac{1}{300}$  totius distantiae parte eam conspicerit, quippe quae illic eodem prorsus modo comparitura sit, atque isthic in tellure per telescopium visa, quod corporum dimensiones tercentis vicibus maiores exhibit. Illud etiam ad evincendam tam abnormem distantiam stellarum fixarum vim habet ingentem, quod cum lunæ, alteriusque Planetæ interjectu visui subducuntur, occultatio hæc unico temporis momento peragatur, ne aquam vero lentis gradibus, uti in Planetis contingit, dum nobis propiores infra remotiorum discos subeunt. Hæc omnia si coniunctim sumantur, clarum equidem est, alia ab aliis robur accipere, tantumque abest, ut telluris motum evertant, ut etiam eidem stabiliendo sint quam maxime opportuna. Quin ipsa hæc tanta stellarum distantia, quam observationes ejusmodi, si rite colligantur, evincunt, ad majoris evidentiæ gradum sistema Copernici provehit, quippe cum, quo remotiores illæ sunt, eo magis a vero abhorrere videatur, spatia mensuram omnem tantum excedentia circa tellurem nostram gyvari, quæ e Planetis propinquioribus spectata scintillæ instar esset exiguae, in remotioribus vix conspicua; in stella demum quapiam fixa visum effugeret omnino, quemadmodum vel totum sistema solare, cuius pars est tantilla. Et credibile cuiquam videatur, corpora tam immania, tam profunde in spatii immensi abyssø demersa dietim orbitas vastas adeo circa hunc nostrum globulum describere; præsertim si quis ad illud etiam advertat animum, quod vero  
ad

admodum simile fit, haud minoribus intervallis stellas alias ab aliis sejungi, totumque stelliferi cœli spatium, quod nocte serena nostris obtutibus exponitur, universi mundi systematis angulum tantummodo esse exiguum.

8. His addenda est summi momenti inventio, nostri temporis Astronomorum diligentiae, & sagacitati debita, quæ motæ telluris sententiae pondus non exiguum adjungit, ejusque argumenti, quod in oppositum modo retulimus, quodque unum afferri cum veri specie potest, vim omnem elevat. Ex cogitarat celebris Grahamus, simulque summa dexteritate, & accuratione admirabili construxerat machinam, cuius descriptio in singulari opere Optices D. Smith prostat, quo Lectorem remittimus. Hac itaque quam exactissime in recta verticali constituta, Molineus, Bradleyus, ipseque Grahamus plurimum annorum curiculo stellam in Draconis constellatione prope zenith transeuntem eum in finem observarunt, ut ejus parallixin detegerent. Et sane adverterunt illico, stellam non in eodem semper instrumenti loco apparere, sed suam a zenith distantiam mutare, discriminé 21 aut 22 secundorum. Est autem ea stella polo eclipticæ vicina. Consimilibus observationibus aliarum stellarum institutis parem quemdam apparentem motum deprehenderunt, qui latitudinis earum rationem sequeretur. Motus hic penitus diffidebat ab eo, quem parallaxis promitteret, neque longiore etiam tempore ulla iniri potuit ratio novi hujus phænomeni explicandi; dum tandem Bradleyus omnes has vicissitudines e motibus luminis ac telluris inter se

se compositis methodo adeo plana derivavit, ut omnem sustulerit dubitationem. Cogitetur AD (fig. 58) exhibere exiguum orbitæ telluris portionem, CD radium luminis e stella fixa directione CD venientem; quod si terra quiesceret, telescopium situ AE parallelo ad lineam DC collocatum, versus stellam directum esset; sit autem AD ad DC, ut est velocitas telluris in sua orbita progradientis ad velocitatem luminis; equidem dubium non erit, quin telescopio situs AC tribuendus sit, ut radius luminis secundum axis illius directionem illabi possit, ut per medium vitri objectivi ad C ingressus, per medium rursus vitri ocularis A exeat; quippe quo tempore radius rectam CD percurrit, punctum A in D promovetur, ac totum telescopium sibi ipsi semper parallelum in D transfertur. Atqui locus stellæ apparenſ e telescopii situ definitur; unde stellæ in recta AC videbitur, non autem in AE, in qua reapse sita est. Hunc in modum stellæ in polo eclipticæ collocatæ latitudo minor deprehendetur angulo EAC vel ACD, qui 20 secunda excedet, siquidem velocitas luminis sit ad velocitatem terræ ut 8000 ad 1: eadem porro circulum describere videbitur, cuius ambitus a polo eclipticæ tanquam a centro, 20 fere secundis distat. At stellæ extra eum polum positæ exiguae ellipses percurrent, quarum centra vera earum loca (id est, in quibus conspicerentur, si terra motu careret) occupant axes autem transversi eclipticæ sunt paralleli, secundi tandem axes eidem perpendicularares, quorum illi maximam aberrationem in longitudinem, hi vero maximam aberrationem in latitudinem præbent. Stellæ in plano eclipticæ sitæ

T t nul-

Fig. 58.

nulla est , præterquam in longitudinem , aberratio . Et tum quidem radiis e stella emissis orbitam telluris in G & H tangentibus , eandem vero secantibus in A & B sub angulo recto ; quoniam tellus in G & H secundum directionem radiorum movetur , stella in loco suo vero apparebit citra ullam aberrationem , quando terra in illis orbitæ locis versatur ; verum dum ad A & B pervenit , stellæ aberratio in longitudinem maxima esse debet . Hac itaque ratione omnes situs mutationes stellarum , quas cum Moluneuo observarat , Bradleyus explicuit ; & quamvis annuam parallaxin incassum quæsierit , nihilominus novum argumentum , quod a motu telluris apprime faceret , ex observationum serie in admodum diversis stellis institutarum eruit . Eadem porro satis erant , ut tu-to concluderet , parallaxin annuam vix unum minutum secundum excedere posse ; e quo ipso consequitur , stellas fixas  $40000^{\text{ies}}$  sole a nobis remotiores esse . Atque sic demum assertis motibus veris , qui in mundano systemate locum habent , fidentius jam analysis cæptam promovebimus .

9. Omnes Planetæ primarii in curvis circa solis centrum deferuntur , velocitate eo majore , quo globo illi viciniores fiunt , eoque rursus minore , quo longius ab eo recedunt , ut radius e quovis Planeta ad solem ductus verrat areas temporibus æqualibus æquales . Hinc autem planum fit , uti Cap. II §. 5 , 6 & 7 ostensum est , vim , quæ eorum motus in curvas inflectit , versus solem dirigi . Easdem hæc subit mutationes , quas lunæ in terram gravitas , ut eadem quoque ratiocinandi methodus , qua vires lu-

næ in terram, cum ad maximam, minimamque per-  
venit distantiam, Cap. II §. §. 8, 9 & 10 inter se  
contulimus, locum habeat, dum illarum ineunda est  
ratio, quæ in Planetas singulos primarios agunt,  
quando a sole vel recedunt plurimum, vel pluri-  
mum accedunt; e quo constabit pariter, eas ita cre-  
scere, ut quadrata distantiarum a sole minuantur.  
Hanc virium normam generatim Auctor noster e na-  
tura ellipseos, qualis est cujusvis Planetæ orbita,  
demonstrat.

10. Verum eandem legem ad omnes pertine-  
re communiter, omniumque motus Planetarum in  
hanc unam conspirare, eo magis semper elucefecit,  
quo plurum periodi inter se comparantur. Enim  
vero quis non videat quam clarissime, vim in Pla-  
netam soli propiorem agentem ea multo esse majo-  
rem, quæ in remotorem exeritur, quando illius  
velocitas non modo major est, verum etiam orbita  
contractior, majorisque curvaturæ, quæ magis a tangen-  
te deflectit, quam si in ampliore paris longitudinis ar-  
cus sumatur. Motibus Planetarum hunc in modum  
inter se compositis, vicinoris celeritas, alterius, qui  
longius abest, celeritatem superare deprehenditur  
ea ratione, qua radix quadrata numeri distantiam ma-  
jorem exprimentis excedit radicem quadratam alte-  
rius, quo minor distantia designatur, ut proinde  
Planeta, qui quadruplo alterius intervallo a sole di-  
staret, dimidia tantummodo velocitate moveretur,  
ideoque nonnisi duorum minutorum tempore arcum  
percurreret, quem intra unum vicinior absolveret,  
& quamvis fingeremus orbitarum utriusque curvatu-

ram eandem esse, soli tamen propior gravitate sua recta descendens uno minuto tantum emetiretur spatiī, quantum duobus remotior, & hinc æquali tempore lapsus, ille quadruplum hujus conficeret, ad eam scilicet corporum libere cadentium legem, cuius tam frequens nobis fuit mentio facta; atque propterea si vel sola Planetæ vicinioris spectetur velocitas major, ejus in solem gravitas quadrupla sit, oportet, gravitatis remotioris. Sed enim quoniam minoris orbitæ radius quater contineri ponitur in radio orbitæ majoris, præterea necesse est, curvaturam majoris quater excedi a minoris curvatura, acceptisque arcibus exiguis, & æqualis longitudinis, extremum illius, qui ad orbitam minorem pertinet, quadruplo magis a tangente in extremo altero discedere, quam alterius extremum, qui in ampliore sumitur. Itaque si par etiam foret utriusque celeritas, attamen ob solum orbitalium diversum flexum in Planeta proprio- re gravitas quadrupla requireretur. Unde si tum velocitatis, tum curvaturæ orbitalium conjunctim ha- beatur ratio, prorsus conficitur, gravitatem remo- tioris decies & sexies excedi a vi illa, qua versus solem Planeta propior urgetur, et si non majore, quam quadruplo intervallo absit, id est, distantiis planetarum obtinentibus rationem 4 ad 1, eorum gravitates fore inverse ut 16 ad 1, seu ut quadra- ta distantiarum reciproce. Ad hanc normam Plane- tarum motibus compositis, intelligetur plane, eo- rum gravitates non alia decrescere lege, quam qua quadrata distantiarum a sole crescunt.

11. Collatis itaque consimili ratione motibus non modo ejusdem planetæ, cum in diversis orbitæ suæ locis versatur, sed etiam quos alii in aliis ellipsis peragunt, planum fit, esse quoddam virium genus, gravitati, quæ nobis tam perspecta est, corporum nostratum persimile, inde a sole ad intervalla omnia diffusum, itaque imminutum perpetuo, uti horum quadrata crescunt. Quod si Planeta quispiam in locum alterius transferretur, principii hujus actione eadem, eodemque modo, ac alter ille, afficeretur; & quemadmodum gravitas telluris nostræ partes conjunctas retinet, & ne diversis ejus motibus divellantur, impedit; ita vis quæpiam haud dissimilis in solis quoque superficiem agit, & penetrat intime, partium nexum, globique figuram adversus motum revolutionis circa axem illæsam præstans.

12. Uti vero hoc principium motus planetarum in magno solis systemate moderatur, ita non minus satellitum circuitus in secundariis illis systematis regit, e quibus majus hoc coalescit, neque minor illorum motuum, si cum distantiis conferantur, deprehenditur consensio, quam quæ in primiorum circa solem revolutionibus elucescit. Sic Jovis satellites orbes suos circa ejus centrum inflectere vides, atque infra tangentes, five motus directiones, singulis temporis momentis versus illud deprimi, ut radii ab uno quovis ad Jovis centrum ducti temporibus æqualibus æquales verrant areas, nec nisi ad idem eorum gravitas possit dirigi. Qui porro propiores sunt, majore feruntur velocitate ex eadem prorsus proportione, qua soli viciniores Planetæ

primarii ceteros celeritate vincunt, ut proinde eorum gravitas e communi omnibus lege mutetur. Neque aliter res in Saturni satellitibus habet. Quare in hac etiam Planetarum specie vis quæpiam eorum massam continet, dum interim circa alios revolvuntur, quæ & in superficie eorum sese prodit, & inde porrigitur quaquaversus, iisdem decrementis, quæ a tellure, & sole in omnem partem diffusæ accidunt.

13. Sed præterea necesse est, ut Planetæ secundarii in solem sint graves. Neque enim motus eorum ad regulas tam accurate exigi possent, nisi earundem virium actionibus subjacerent. Si vim hanc acceleratricem directionibus parallelis in eos agere cogitemus, nihil propterea eorum motus erit implicator, nihil perturbationis in ordine orietur; verum primarios suos comitari in illorum circa solem revolutionibus pergent, suis interim circa eosdem orbitis ea cum accuratione percursis, qua maiorem haud exigentes, cujusvis primario motu omni destituto. Idem scilicet hic eveniret, quod in navi, aut quovis demum spatio motu uniformi progrediente, contingenteret, in quo mutuae corporum actiones eadem manent penitus, ac si spatium illud in quiete perfstaret. Et quemadmodum corpus quodpiam per aera projectum haud definit in solem gravitare, unaque cum tellure circa hunc globum abripi, cum interim motu proprio in curva ad easdem leges exacta defertur, quas servaret, si terra quiesceret; ita etiam luna, quam ab alio quovis projectili non nisi magnitudine differre ostendimus, in solem ut gravitet,

tet, necesse est, dum simul cum tellure circa eundem revolvitur, neque hic motus menstruas ejus circa globum nostrum periodos impediet. Pari ratione Jovis satellites non secus in solem graves sunt, ac quævis globi Jovialis pars; sic & illi, qui Saturnum comitantur, in solem nituntur haud aliter, quam portio quælibet eum planetam constituens. Quare utriusque hi motus tum in magno solis systemate, tum in minoribus omnibus, & planetis primariis propriis, locum habent, itaque consentiunt, ut nulla inde vel interruptio, vel perturbatio sit metuenda, exiguae quasdam si inæqualitates demas, quæ in viribus tam primiorum, quam secundiorum ob directiones non penitus parallelas enasci debent, & de quibus inferius agendi locus erit.

14. Nullum adeo corpus, ut ut insolentia sua extraneum videri possit, se unquam in inferioribus hisce systematis nostri spatiis in conspectum dat, ab illa communi in solem gravitate exemptum; ipsi cometæ vim illius tam manifestam produnt, ut motu eo magis concitato semper descendant, quo soli propinquiores fiunt, qui perpetuo iterum in ascensu lentescit; ut trajectioriae circa solem recurventur, percurrenturque a radiis ad centrum solis ductis areae temporibus æqualibus æquales. Vis porro in cometas agens eandem mutationis legem subit, quam planetarum gravitas, ut vel manifesto est indicio, quod parabolas, (\*) aut ellipses admodum eccentricas

per-

---

(\*) Princip. Lib. III Prop. 40.

percurrent, in quarum foco altero sol est constitutus. Et Auctor quidem noster accuratam dedit demonstrationem, qua evicit, corporum vires parabolas circa focum describentium ea ratione, quam toties jam indicavimus, mutari. Si corpus quodpiam e nostra tellure in recta ad horizontem perpendiculari vi sufficiente (qua scilicet intra minutum quadringenties vi cies mille passus motu uniformi percurrere posset) projiceretur, in ea linea perpetuo a tellure longius discederet, nunquam relapsurum; licet enim gravitas ejus motui moram injiceret, elidere tamen eum penitus haud posset, actione scilicet eo minus efficacē redditā, quo corpus ad majora usque intervalla fuisset evectum. Quod si alia quavis directione par vis projectionis adhiberetur, corpus parabolam percurreret, foco in telluris centro constituto, ad quam nunquam amplius reverteretur. At paullo minore impulsu ejectum, in ellipſin motum inflechteret admodum eccentricam, ad eundem redditum locum periodo longissima peracta, nisi fortassis interea nimia corporis alicujus cœlestis vicinia a cæpta semita deturbaretur. consimili modo si viribus ad id requisitis planetarum aliquis projiceretur, in curva parabolica, focum in solis centro habente, perpetuo moveri pergeret. Motus itaque hi omnes ex eodem derivantur principio, viribus quidem admodum diversis, ut conditionum exigit varietas, agente, quæ tamen omnes in eandem legem conspirant, eosque prorsus reddunt analogos motibus, quos in corporibus prope telluris superficiem projectis oculis quotidie cernimus; ut proinde effectus adeo similes non nisi ex eadem causa possint repeti, quippe cum haud

ma-

magis evidens fit, eandem esse gravitatem, quæ corpora terrestria in Europa afficit, cum illa, quæ in America, seu prope æquatorem, aut polos agit; quam idem esse principium, cuius efficacia per universum hoc sistema, inde a sole ad amplissimum usque Saturni orbem, aut cometam quemlibet maxime eccentricum, sese extendit.

15. Complura sunt phænomena, e quibus concludere liceat, solem sua ambiri atmosphæra, ad spatiis magna ab eo globo extensa. Annulus ille lucidus in eclipsi totali solis anno 1605 circa lunam conspicuus, & cuius Keplerus meminit; atque idem etiam recentius An. 1706, & 1724 ad 9 vel 10 graduum intervallum lunam cingere visus, rectius refractione in solari atmosphæra efformatus dicetur, dum radii directi a luna intercipiebantur, quam in lunari. Materia porro hujus atmosphæræ in solem gravis esse videtur, illius potissimum actionis indicio, quam in vapores caudarum cometarum exerit, a nucleo, & circumfusa illi atmosphæra, in plagam directioni eorum gravitatis in solem oppositam elevatos. Hos enim ad summam tenuitatem deductos vapores ea maxime directione excessu gravitatis in solem materiæ atmospharam solarem componentis attolli non immrito crediderim, non secus, ac vapores apud nos columnæ instar in altum propterea assurgunt, quod eorum in terram gravitas ab aeris pondere vincatur; atque id jure potiore, cum videamus, & eo maiore copia, & velocius id genus halitus evehi, quo cometa ad solem accedit proprius. Quæ omnia ostendunt sane luculente, nullum esse in hoc systemate ma-

Uu teriæ

teriæ corporeæ genus, cui non ex merito gravitatio-  
nem in solem tribuamus.

16. Quod ad stellas fixas, hæ ad adeo immensa  
remotæ sunt intervalla, ut earum in solem gravitas  
etiam plurium sæculorum decursu effectum habere  
nequeat, qui phænomeno quopiam sub sensus cadente  
sese prodat. Etenim decrescit gravitatis actio, ut  
quadrata distantiarum majora evadunt; stellæ autem  
fixæ nobis maxime vicinæ pluries centies millenis vi-  
cibus longius a nobis absunt, quam sol; unde earum  
in solem gravitas plus quam  $100000 \times 100000$  vi-  
cibus minor est, quam gravitas terræ in eundem.  
Neque phænomena nobis indicant, sed analogia tan-  
tummodo suadet, gravitatis vim ad ipsas usque stel-  
las fixas pertinere. Nihil inde ad nos, quod sentia-  
mus, pertingere potest, solique lumini vastam illam  
spatii eas a nobis separantis abyssum pervadere li-  
cet. Existimat interim Newtonus, argumento hac  
in re ab analogia ducto robur esse non exiguum.  
Quare si stellæ tum in solem, tum in sese mutuo  
graves sint, illud dicendum, per spatia immensa ma-  
teria vacua, quæ systemata illarum alia ab aliis se-  
jungunt, & in quibus verosimile est, quod centra  
non secus, ac sol in nostro, occupent, fieri non pos-  
se, ut seu motibus afferatur perturbatio, seu omnia  
hæc corpora in massam quandam vastæ, & infor-  
mis molis aliquando confluant. Nec est sane, cur  
mirum cuiquam videatur, illic gravitatem in solem  
sentiri non posse, ubi ipse ille globus pene oculis  
sese subducit, neque isthic apud nos ullum gravita-  
tionis in stellas fixas reperiri vestigium.

17. Quo-

17. Quoniam inter actionem & reactionem semper in oppositis directionibus habetur æqualitas, ut cum terra exempli causa in montem gravitat, hic non minus in illam premat; cum corpus projectum, quamdiu in aere movetur, versus se attrahit, hoc eodem nisu in terram tendat; (quam legem si tollas, nihil diuturnum, nihil stabile erit), consequens est, ut sol in omnia hujus magni systematis corpora gravitet, uti & planetæ primarii in suos satellites. Idem porro planetæ primarii in se mutuo graves sunt, quod non nullæ exiguae inæqualitates in eorum motibus notatae quam evidentissime produnt, maxime vero in Saturno & Jove, qui mole reliquos omnes superant, observatæ, dum in conjunctionibus ad summam, quam habere possunt, propinquitatem perveniunt. Similibus exerrationibus satellitum Jovianum æque, ac Saturninorum cursus obnoxius esse deprehenditur. Tot itaque, tamque graves ratios eo demum nos deducunt, ut in systemate solari corpora omnia mutua in se gravitate agere concludamus, quam licet cum materiæ natura ita connexam dicere haud possumus, ut ab ea nulla prorsus ratione abesse queat; fatendum nihilominus est, e phænomenis nos doceri, eam non minus ad universa corpora pertinere, ac affectionem quamvis aliam communem.



---

---

C A P U T   I V.

*De Gravitatione Materiæ Universali.*

I. N superioribus vim tantummodo acceleratricem gravitatis ex diversis spatiis agentem expendimus, quibus velocitates, quas tempore dato efficit, ex proportione respondent. Supereft, ut ostendamus, motum a gravitate in corporibus æqualibus intervallis a centro dato remotis genitum e materiæ modo metiendum esse; ipsam dein corporum gravitatem e partium gravitate mutua provenire; & denique ut etiam legem adferamus, quam partium istarum gravitatio sequitur. Et quod ad corpora terrestria, res est omnium consensu, pluribusque a Newtono institutis experimentis confirmata, quod ea, quorum volumen, ac figura eadem, licet ceterum indolis sint admodum diversæ, si e filis æque longis suspendantur, oscillationes suas, in quas pendulorum ritu excurrunt, æquali omnino tempore peragant; argumento scilicet, vim gravitatis ad massæ corporeæ mensuram exigendam esse: & siquidem aer nullum motui impedimentum afferret, ne tum quidem vibrationum tempora discrepant, quando figura & volumen forent quam maxime diversa, modo suspensionis, & oscillationis centra

tra manerent eadem. Ostensum jam est, lunam eadem velocitate versus terram casuram, qua corpus aliud quodvis grave, siquidem a centro pari spatio abefset: & præterea inter omnes convenit, vires corporum æquali celeritate motorum, massarum rationem sequi; itaque gravitas lunæ eam rationem ad gravitatem alterius corporis cuiusvis tantundem a centro telluris remoti habet, quam materia lunæ ad materiam illius corporis. Planetæ quidem primarii, uti alii aliis distant longius, ita actionibus urgentur admodum diversis, quæ tamen omnes hac continentur lege, ut à intervalla omnium horum globorum paria essent, omnes pari velocitate versus solem descenderent, motibus eo majoribus, quo quisque aliis materiae copia præstaret. Eundem in modum fieri deberet, ut Jovis, ac Saturni satellites in centra suorum primariorum æquali celeritate ferrentur, si ex eadem altitudine laberentur. Tellus, ac luna viribus acceleratricibus iisdem, si intervalla essent æqualia, in solem impellerentur, eademque move- rentur velocitate; Jupiter cum suis satellitibus iisdem celeritatis gradibus in solem incitaretur, si projectionis vis tolleretur. Idem prorsus de Saturno, ejusque satellitibus sentiendum. Exiguum tamen vi- rium acceleratricium discrimen, quæ in planetam primarium, ejusque satellites agunt, ingentem varie- tam in eorum motus invehernet. Quoniam igitur in his omnibus, velocitates æquales æqualibus tem- poribus efficerentur, motus corporum, ideoque etiam gravitas, motuum horum effectrix, materiae quam accuratissime respondere debet: e quo consequitur, quasvis massæ portiones æquales, dum a centro ad

U u 3 æqua-

æqualia spatia constituuntur, æqualiter graves esse, quiscunque sit voluminis, figuræ, contextus partium modus, atque adeo corporum gravitationem ex illa, quæ singularum partium est, provenire.

2. Cum actio semper reactioni æqualis fit, si fingamus planetas eodem spatio a sole remotos, ideoque in eum vi materiae suæ respondentे gravitare, vicissim sol in singulos nisum exeret ex eadem proportione definitum. Et universe idem corpus in quotcunque alia æqualiter diffusa gravitat viribus singulorum massis congruentibus, quippe cum in ea semper agat viribus iis paribus, quibus vicissim ab aliis urgetur, atque hæ prorsus ex materia singulorum sint metiendæ. Hinc vis e centro solis & planetæ cujuslibet quaqua versum diffusa, in spatiis æqualibus ab eorum materia mensuram accipit, & generatim gravitas corporis eo major est, quanto massa propria, tum illius corporis, in quod actio dirigitur, major est, & simul quo minus est quadratum intervalli inter utrumque interjecti. Triplex hæc proportio si in unam componatur, pondus, motusque corporum ex eorum gravitate pendentes, semper definire licebit.

3. Dum tantus experimentorum, observationumque numerus in id consentit, quod gravitas quaslibet materiae corporeæ particulas afficiat, potior semper a nobis erit ratio, si eandem ad omnia universe corpora pertinere dicamus, quando ejusmodi est, quæ non modo in superficiem corporum agat, sed massam totam ad ipsum usque centrum pene-

penetret; quæ non minorem exerceat potestatem in latentes intus particulas, quam quæ foris fere objiciunt oculis; cuius efficacitas nullius corporis interjectu, nullo obstaculorum genere infringi possit; quæ denique illi soli mutationi in eadem materia obnoxia sit, quam diversa corporum, in quæ gravitat, intervalla requirunt.

4. Actio gravitatis in corpora ex ea provenit, quam in singulas eorum partes exerit, neque aliud est, quam omnium harum actionum collectio, ut proinde gravitatio corporum desumenda sit a gravitatione mutua partium. Gravitas corporis cuiuspiam in terram ex partium ejus gravitatione nascitur; vis, qua mons tellurem premit, pendet ex nisu ejus partium versus tellurem; hemisphærii Borealis gravitatio in Australe colligitur e corporum, quibus constat, omnium actionibus adversus illud; & si terram in portiones duas inæquales sectam cogitemus, gravitas majoris in minorem orietur e singularum illius partium viribus in partes singulas hujus conjunctim agentibus. Pari ratione si totius telluris, dempta unica particula, actionem in hanc ipsam particulam spectemus, ea constituitur e reliquarum omnium gravitatione in separatam illam moleculam. Quare quævis pars hujus globi in omnes, & singulas alias partes gravis est; & eodem arguento quælibet pars materiæ totius solaris hujus systematis gravitare dicenda est in omnes reliquas, e quibus immensa hæc rerum compages exsurgit.

5. Res

5. Res ipsa jam nos admonet, ut ad doctrinæ hujus caput maximi momenti progrediamur, hoc est, ut legem ipsam mutuæ gravitationis singularum partium definiamus, postquam illam ante oculos posuimus, qua corpora partibus illis constantia tenentur. Qui in rerum naturalium investigatione haud ultra corticem penetrare consueverunt, facile quidem sibi persuaserint, legem alteram nihil ab altera distare. Verum citra magnum negotium ostendetur, legem attractionis, quam singulæ materiæ moleculæ observant, longe diversam esse ab illa, quam sphæræ ex illis particulis compositæ sequuntur. Sic, ut exemplo utamur, si partium gravitatio decrescat in ea ratione, qua cubi spatiorum, quibus altera ab altera abest, augentur, vel etiam in majore quampiam; sphæræ ex hisce moleculis coalescentes, haud quaquam in se mutuo agent viribus ex eadem proportione imminutis, qua eorum centra a se recedunt, aut in majore illa: globi enim cum se contingen, in hac hypothesi infinites magis se attrahent, quam dum a contactu vel minimum removentur, licet discrimen inter centrorum intervalla vix percipi possit. Atque hanc ob causam Newtonus necessitatem sibi imponi sensit, materiam hanc disquisitioni accuratissimæ subjiciendi. Et quia hæc theoriæ gravitatis pars summam habet utilitatem, neque, ut a Newtono pertractata est, sine abstrusioris Geometriæ, & calculorum maxime intricatorum notitia intelligi potest, operam dabimus, ut viam planiorem insistamus, ea duntaxat, quæ minus implicata sunt, persequentes, ut morem hunc adhuc tenuimus. Sumamus itaque imprimis, vim singularum parti-

particularum mutuam decrescere in ratione quadrati auctæ earum inter se distantiaæ, & sunto (fig. 59) Fig. 59.  
 $P A E a$ ,  $P B F b$  coni similes ex ejusmodi particulis constantes, ac basibus sphæricis  $A E a$ ,  $B F b$ , quarum centrum in  $P$ , clausi: erit gravitatio particulae  $P$  in solidum  $P A E a$  ad gravitationem ejusdem in solidum  $P B F b$ , ut est  $P A$  ad  $P B$ , seu in ratione laterum homologorum solidorum istorum similiūm. Sit enim  $M N m$  superficies similis superficiei  $A E a$ , habens idem centrum  $P$ , & erit gravitatio in superficiem  $A E a$  ad gravitationem in superficiem  $M N m$  in ratione composita ex directa superficiei  $A E a$  ad superficiem  $M N m$  (seu  $P A^2$  ad  $P M^2$ ), & reciproca  $P A^2$  ad  $P M^2$ , hoc est, in ratione æqualitatis: atque adeo si gravitatio in superficiem  $A E a$  dicatur  $A$ , gravitatio in solidum  $P A E a$  exprimetur per  $A \times AP$ , & gravitatio in solidum simile  $P B F b$  per  $A \times PB$ , quæ quantitates sunt in ratione  $PA$  ad  $PB$ .

Eodem modo gravitatio versus portionem superficiebus  $A E a$  &  $M N m$  comprehensam exhibebitur per  $A \times AM$ . Et consimili ratione evidens fit, quod, quamvis superficies  $A E a$ ,  $M N m$  alterius sint figuræ, nihilominus ultima ratio attractionis particulæ  $P$  in solida conica, vel pyramidali  $P A E a$ ,  $P M N m$  sit  $PA$  ad  $PM$ : & si quidem  $AQ$ ,  $Mq$  sint perpendiculara ad  $PH$  in  $Q$ , &  $q$ , erunt hæ vires ad directionem  $PH$  reducētæ, ultimo in ratione  $PQ$  ad  $Pq$ . Hinc manifestum fit, quod si  $PB$  æquetur cum  $BA$ , attractio coni  $P B b$  in particulam  $P$  eum contingentem, sit æqualis attractio-

ni portionis intra superficies  $A E a$ ,  $B F b$  comprehensæ in eandem particulam, siquidem ponatur attractio crescere in ratione, qua distantiarum quadrata decrescunt. E quo illud consequitur, quod in hac hypothesi attractio alicujus portionis materiæ in particulam contiguam non admodum excedat attractionem in eandem, quando hæc a contactu exiguo tantum intervallo removetur.

6. At enim aliter longe res habebit, si finigamus attractionem particularum singularium decrescere in ratione cuborum auctarum distantiarum. Tum quippe molecula in  $P$  constituta urgetur versus superficiem  $M N m$  vi, quæ sit directe ut superficies illa, seu ut  $P M^2$ , & ut cubus ejusdem  $P M$  inverse, hoc est, quæ sit ut  $P M$  reciproce, vel directe ut  $M V$ , quæ est ordinata hyperbolæ æquilateræ **KVI** intra asymptotas  $P A$ ,  $P K$ ; & propterea attractionem portionis  $M N m A E a$  metietur area hyperbolica **MVIA** inter ordinatas ad  $A$  &  $M$ ; attractionem autem coni  $P M N m$  area hyperbolica infinita inter ordinatam  $M V$ , & asymptotum  $P K$ . Ex hoc vero evidenter conficitur, si hæc attractionis lex assumatur, particulam  $P$  in portionem materiæ utcunque parvam, quacum in contactu sit, longe majore vi niti debere, quam in corpus maximum, quod vel tantillum a contactu abesset. Idem haud majore difficultate demonstrari posset, si mutua particularum vis minueretur in ratione eadem, qua potentiae quævis cubis distantiarum altiores crescunt. Præterea intelligitur, attractionem alicujus particulae in contactu corporis positæ haud multum advertendam

dam mutationem subituram, si pars quæpiam materiae seu particulæ illi, seu corpori attrahenti in distantia, ut libet, parva accederet; at vero in omnibus hisce hypothefibus, si particula corpus non contingat penitus, motus ab attractione in distantiis ultra omnes limites diminutis genitos in particula fore eo velociores, quo ipsa fuerit minor, cum vis eadem in materiae portionem agens tanto majorem celeritatem efficiat, quanto minoris est massæ.

7. Eadem propositio demonstrari potest, quin ad hanc areæ hyperbolicæ affectionem recurratur. Sit (fig. 60) PA ad PB, ut PB ad PD, & concipiatur animo utraque portio coni AB & BD in partes numero infinitas divisa, ita, ut portionis AB partes Ak, kl &c, inter se æquales, sint similes partibus Bm, mn &c portionis BD itidem inter se æqualibus. His ita constitutis erit Ak ad Bm, ut AB ad AD, & materia inter superficies, quarum radii e centro P sunt PA, & Pk, contenta, erit ad materiam comprehensam sectionibus sphæricis, quarum radii PB & Pm, uti est  $PA^2 \times Ak$  ad  $PB^2 \times Bm$ ; hoc est, ut  $PA^3$  ad  $PB^3$ . Porro vires attractrices partium æqualium intra superficies radiis PA & Pk descriptas contentarum sunt in eadem ratione reciproca, seu directe ut  $PB^3$  ad  $PA^3$ , ad vires attractrices partium, quæ continentur intra superficies radiorum PB & Pm, per hypothefin; & compositis hisce rationibus oritur ratio æqualitatis; cum igitur vires attractrices materiae superficiebus similibus terminatae sint in ratione composita attractionis singularum.

partium æqualium , & numeri earum partium , se-  
quitur , attractionem materiæ contentæ superficiebus  
radiorum  $P_A$  &  $P_k$  , esse æqualem attractioni ma-  
teriæ contentæ superficiebus radiorum  $P_B$  &  $P_m$ .  
Ob eandem rationem attractio materiæ positæ intra  
superficies , quarum radii  $P_k$  ,  $P_l$  , æquatur attra-  
ctioni materiæ clausæ superficiebus , quarum radii  $P$   
 $m$  ,  $P_n$  ; uti & attractio portionis  $A E a B F b$  ,  
attractioni portionis  $B F b D G d$ . Quod si deinde  
sumatur  $P_B$  ad  $P_D$  , ut  $P_D$  ad  $P_H$  , fiet  
rursus attractio portionis  $D G d H R b$  æqualis at-  
tractioni portionis  $A E a B F b$  ; & continuata hac  
progressione Geometrica decrescente , manifestum est ,  
quod si sumatur portio quævis materiæ comprehen-  
sæ intra binas superficies , quarum radii sint duo  
termini contigui seriei , ejus attractio semper æqua-  
lis sit cum attractione portionis primæ  $A E a B$   
 $F b$ . Atqui terminum  $P_B$  sequuntur infiniti alii ,  
& in solido  $P_B F b$  portiones materiæ numero in-  
finitæ continentur , quarum singularum attractio æqua-  
tur attractioni portionis primæ intra superficies  $A$   
 $E a$  ,  $B F b$  ; igitur attractio solidi  $B F b$  parti-  
culam  $P$  contingentis , est infinites major attractio-  
ne portionis superficiebus  $A E a$  ,  $B F b$  compre-  
hensæ , quæ quidem omnium maxima est , attamen  
a contactu particulae  $P$  remota. Id moræ tum de-  
monstrando , tum illustrando huic theoremati da-  
re visum est , cuius usus deinceps erit egregius ,  
ejusque ope palam fiet , quid compendii habeat  
lex gravitatis , quæ in solari systemate primum  
præ aliis locum obtinet , quanquam non nun-  
quam

quam ea res sint conditione, ut aliæ sint potiores habendæ.

8. Si partium minimarum ea ponatur gravitatio, quæ decrebat, ut quadrata distantiarum augentur, vires, quibus particulæ similiter positæ a solidis similibus, & homogeneis attrahuntur, sunt ut earum distantiaæ a punctis similiter positis eorundem solidorum, seu ut latera eorum quævis homologa. Licebit enim solida in conos, conorumve portiones similes mente resolvere, quorum vertex sit in iis particulis, eritque proinde gravitatio in conos, aut eorum segmenta, in ratione exposita, per §. 5. Verum si attractio particularum minuatur, ut crescent distantiarum cubi, vires, quibus urgentur similiter collocatæ versus solida similia, & homogenea, æquales erunt. Quod si enim rursus hæc corpora fingantur in conos similes, aut eorum segmenta ita divisa, ut & situm obtineant similem, & verticem in particulis illis habeant, gravitatio in has portiones eadem semper manebit, per ea, quæ postremo articulo demonstrata sunt: eodem scilicet id evincentur modo, quo ostendimus, particulam P in portiones similes A E a B F b, D G d H R b eadem vi trahi.

9. Eadem gravitatis lex si observetur inter moleculas quam minimas, ut mutua earum vis eadem ratione minor evadat, qua distantiarum quadrata crescunt; & collocetur ejusmodi particula intravum corporis, quod vel annulari spatio intra duos circulos concentricos contento, & circa diametrum

moto generatur, vel vero quod oritur spatio intra  
 Fig. 61. duas ellipses similes relicto A D B E, *a b d e* (fig.  
 61), & circa axem revoluto, ea, inquam, parti-  
 cula nullam prorsus in hoc solidum gravitatem ha-  
 bebit. Nam exhibeat particula in *p*, & recta *p*  
*r* ambitum interioris vel circuli, vel ellipsoes in *f*  
 & *q*, exterioris in *x* & *r* fecet. Si punctum *Z* re-  
 ctam *x r* dividat bifariam, etiam partes *Z f*, *Z q*  
 æquales erunt, utpote cum figuræ similes, & simi-  
 liter positæ sint: & hinc fiet *f x* æqualis cum *q r*,  
 & gravitationes in portiones oppositas solidi, verti-  
 cem communem in *p* habentes, lineisque iisdem ter-  
 minatas (quæ nempe *e p* in utramque partem du-  
 cuntur) eadem erunt, per articulum 5, alteraque  
 elidet alteram.

Hinc deducere licet, gravitatem particulæ *Q*  
 esse ad gravitatem alterius *P* in eadem semidiametro  
 positæ versus sphæram, aut elliptoides ex integro  
 solidum, sicut est *CQ* ad semidiametrum *CP*. Ete-  
 nim cum solidi spatio annulari intra *APB*, *a Q b*  
 geniti nulla sit vis in particulam *Q*, hæc non ma-  
 gis a solido *ADBE*, quam a solido *a b d e* attrah-  
 etur. Est autem posterioris hujus *a b d e* attractio  
 in *Q* ad illius *ADBE* attractionem in *P*, ut *C*  
*Q* ad *CP*: quare in aperto est, gravitatem parti-  
 culæ *Q* in eadem solidi semidiametro positæ esse ad  
 gravitatem alterius *P*, uti est *CQ* ad *CP*. At-  
 que ex his etiam illud intelligitur, quod si sphæra,  
 aut sphæroides æquabilis ubivis densitatis constet par-  
 ticulis vi attractiva in ratione reciproca quadrato-  
 rum distantiarum agente præditis, gravitas in eo inde  
 a su-

a superficie versus centrum, sumptis intervallis in data quavis semidiametro, decrescat eadem ratione, qua distantiae a centro.

10. Cogitetur jam particula **P** (fig. 62) Fig. 62. extra sphærā **A D B E** ad intervallum **P C** a centro **C** collocata; attrahetur in sphærā vi decrescēte in ratione quadrati auctæ distantiae **P C**. Nam arcu **C H** centro **P**, radio **P C** descripto, ducatur recta **P N M** occurrens circulo sphæræ genitori **A D B** in **N & M**, arcui **C H** in **L**: huic intelligatur altera **P n m** ex eodem **P** ducta infinite propinqua, secans eundem circulum in **n & m**, arcumque **C H** in **l**; **L R**, **l r** sint ad **P C** in **R & r** perpendiculares, uti & **C V** ad **P M** in **V**. Concipiatur planum circuli **A D B E** secari a plano alterius **A d B e** in communi sphæræ axe **A B**, atque cum eo angulum infinite parvum comprehendere; **l u**, **l x** denique ad planum **A D B** normales occurrant plano **A d B** in **u & x**. Gravitatio particulae **P** in materiam, quæ superficiem physicam **L u x l** constituit, metienda erit per  $\frac{L l \times L u}{P L^2}$ ,

seu  $\frac{L l \times L u}{P C^2}$ ; & hinc ea, qua nititur versus portionem pyramidalem comprehensam intra plana circularia **A D B**, **A d B**, & alia duo in rectis **N M**, **n m** plano **A D B** perpendicularia, mensuram habebit  $\frac{L l \times L u}{P C^2} \times NM$ , quemadmodum ex iis deducitur, quæ artic. 5 hujus Capitis demonstrata sunt.

sunt. At si angulus planorum ADB, AdB idem maneat, utcunque recta PM mutetur, erit semper  $Ll$  ad LR, ut  $Dd$  (arcus in superficie sphæræ, seu distantia CD, interceptus a planis circularibus) ad C D vel CA; & quia  $Ll$  ad  $Rr$ , ut  $PL$  (seu PC) ad LR, ideoque  $Ll \times LR = PC \times Rr$ ; sequitur, mensuram gravitationis particulæ P in hanc portionem exprimi per  $\frac{Ll \times LR \times 2VM \times Dd}{PC^2 \times CD}$ ,

vel  $\frac{Rr \times 2VM \times Dd}{PC \times CA}$ . Hæc vis reducetur ad directionem PC, si minuatur in ratione PV (aut PR) ad PC, & tum ejus valor exhibebitur per  $\frac{Dd \times Rr \times PR}{CA \times PC^2} \times 2VM$ ,

aut (quoniam ob  $PR^2$  seu  $PV^2$  æquale cum  $VM^2 + NPM$  per Euclid. 2. 6, vel cum  $VM^2 + APB$ , &  $APB$  quantitatem constantem, incrementa momentanea de  $PR^2$  &  $VM^2$  æquari debent, & propterea si incrementum rectæ VM sit  $V_o$ , semper est  $Rr \times PR = V_o \times VM$ ),

per  $\frac{Dd \times 2VM^2 \times V_o}{CA \times PC^2}$ , id, quod incrementum

quantitatis  $\frac{Dd \times 2VM^3}{CA \times 3PC^3}$  repræsentat, quemadmodum incrementum de  $VM^3$  exprimitur per  $3VM^2 \times V_o$ , dum VM quantitate infinite parva  $V_o$  augetur. Atque hinc liquet, attractionem portionis segmenti sphærici intra plana semicircularia ADB, AdB contenti, quæ ex eodem segmento reciditur per

pla-

planum alterum, quod in recta NM insistit plano  
 ADB normaliter, esse ut  $\frac{Dd}{AC} \times \frac{2VM^3}{3PC^2}$ : & quia  
 attractio portionis sphæricæ, quæ generatur revolutione segmenti MDN circa axem AB, habet ad  
 attractionem ejusdem segmenti MDN eam rationem,  
 quæ est circumferentia totius ad arcum Dd, erit  
 attractio portionis sphæricæ hunc in modum genitæ  
 ut  $\frac{c}{r} \times \frac{2VM^3}{3PC^2}$  ( ratione nempe peripheriæ ad ra-  
 dium per  $\frac{c}{r}$  exposita ), sive erit directe ut cubus  
 chordæ MN, & reciproce ut quadratum distantiæ PC  
 particulæ P a centro sphærae. Quare etiam, si  
 densitas sphærae data sit, erit gravitas particulæ P  
 in sphæram integrum, ut cubus hujus diametri, seu  
 materiae quantitas, directe, & ut quadratum distantiæ  
 PC reciproce, quandoquidem chorda MN cum  
 diametro AB congruit, dum sphæra tota sumitur,  
 ut proinde hæc attractio metienda sit per  $\frac{c}{r} \times$   
 $\frac{2CA^3}{3PC^2}$ .

11. Allata demonstratio illud quoque perspicuum reddit, particulam P extra sphæram positam in eandem non secus attrahi, ac si materia omnis per sphærae volumen diffusa in ejus centrum collecta foret, indeque instar unius particulæ adversus P ageret.

Etenim circuli ADBE peripheria est  $\frac{c}{r} \times CA$ , area

Y y

$\frac{c}{r} \times$

$\frac{c}{r} \times \frac{CA^2}{2}$ , superficies sphæræ  $\frac{c}{r} \times 2CA^2$ , ejusdem soliditas  $\frac{c}{r} \times \frac{2CA^3}{3}$ , & hinc massæ hujus attractio, quam e centro C in particulam P intervallo CP remotam exerit, exhibenda est per  $\frac{c}{r} \times \frac{2CA^3}{3PC^2}$ , quæ quantitas est accurate eadem cum illa, quæ actionem sphæræ ad hanc distantiam metitur, per articulum superiorem. Idem dicendum de gravitate in spheras quotunque, quarum idem sit commune centrum: unde porro consequitur, gravitatem particulæ extra sphærām constitutæ in eandem esse directe ut quantitatem materiæ in sphera contentæ, & inverse ut quadratum distantiae a centro, quæcumque sit sphæræ densitas in diversis a centro distantiis, modo eadem sit in distantiis æqualibus.

Si attractio mutua particularum fieret in ratione distantiae, eademque ratione cresceret, vel decresceret, qua hæc augetur vel minuitur; sphera etiam in hac hypothesi ita prorsus ageret, ac si massa omnis in centrum cogeretur unius instar particulae; at secus accidet, si aliæ particularum minimorum leges statuantur. Fingamus, particulas minimas sepe attrahere mutuo in ratione inversa distantiae elevatae ad potentiam, cuius exponens fit numerus quilibet  $n$  ternario minor; erit attractio sphæræ id genus particulis constantis in moleculam in ejus superficie collocatam, ad attractionem materiæ totius in centrum collectæ in eandem moleculam inter-

tervallo radii distantem, ut est  $3 \times 2^n = 2$  ad  $3 - n \times 5 - n$ . Exempli causa, si attractio particularum inter se maneret in omnibus distantiis eadem (ut propterea fieret,  $n = 0$ ), ratio exposita evaderet 4 ad 5; & si earundem minimarum molecularum vires essent reciproce ut distantiæ simplices; illa abiret in 3 ad 4, quemadmodum alibi ostendimus. (4)

12. Quoniam particulis sese mutuo attrahentibus in ratione inversa quadratorum distantiæ, demonstravimus, attractionem sphæræ in ejusmodi particulam extra eam positam lege eadem teneri, quam moleculæ minimæ sequuntur, ideoque in ratione duplicita auctæ distantiæ a centro minui; necesse est, ut ipsius etiam particulæ vis in sphærā, actione semper æquante reactionem, in eadem ratione sit variabilis: & si hujus particulæ loco substituatur sphæra altera e similibus moleculis composita, cum actio totalis hujus secundæ sphæræ eadem sit, quæ foret totius massæ in centrum collectæ, jam fiet, ut binæ sphæræ eadem in sese lege agant, qua particulae minimæ in singularum centris positæ, d' est, ut earum attractio e proportione quadratorum auctæ distantiæ inter centra decrescat.

13. Cum itaque Newtonus corporum majorum gravitationem in eam, quæ minimarum partium  
Y y 2 est,

---

(4) Tractat. de Flux. §. 902.

est, resloverit; lex autem, qua corporum istorum gravitas agit, eruta sit ex ipsis phænomenis supra diffusius expositis; sane ex earum, quas jam prius deduximus, consecutionum nexu perspicuum fit, hac prorsus lege moleculas, e quibus corpora coalescunt, teneri. Hac via ratiocinatio-ne provecta illustris ille Philosophus omnem gravitatis a sphæræ cujuslibet centro ad immensa usque spatia progressum in aperto posuit. Particula scilicet in medio globi totius puncto collocata, in nullam penitus plagam nisum exerit, undique ab ambiente sphæræ massa æquali vi attracta. At si quam intra sphæram nacta sit a centro distantiā, gravitate eo majore urgebitur, quo longius a centro recesserit, uti Art. 9 docuimus, quod nempe earum materiæ particularum tantummodo actionem experiatur, quæ illa propius a centro absunt, gravitasque sit ut materia attrahens directe, & quadratum distantiæ a centro inverse: quæ res facit, ut, materia rationem cubi ejusdem distantiæ obtinente, tandem gravitandi modus rationem directam distantiæ sequatur, dum particula inde a centro usque ad ipsam sphæræ extimam superficiem sensim progreditur, ubi vi omnium maxima, quam intra sphæram habere potest, versus centrum connitetur: at extra sphæram si exierit, ejus gravitas in ratione quadratorum distantiæ a centro minuetur, lege per spatiū omne ad extimos usque limites observanda, si quidem nil aliud intervenerit, quod agendi conditiones mutet.

Sermo autem nobis hic est de gravitatis vi acceleratrice, e celeritate metienda, quam quovis temporis momento dato efficere potest: quæ cum corporibus quibuslibet æqualibus temporibus æqualem velocitatem impertiat, siquidem ea pari intervallo a centro remota sint, evidens est, eorum pondera, & motus quantitatem, quorum causa effectrix est gravitas, e materiæ, qua constant, quantitate definiri. Generatim cum ponderis, aut motus ratio ineunda est, quo sphæra quævis in alteram, paribus a centro intervallis æqualiter densam, tendit, ea e triplice proportione componenda est, nempe ex illa imprimis, quæ est materiæ corporum gravitantium, tum massæ sphærarum, quas gravitate sua illa corpora petunt, ac denique quadratorum distantiarum, quæ inter singularem sphærarum mutuo gravitantium centra sunt. Atque hanc demum legem in universi hujus systemate locum habere phænomena nos docent. Vid. Artic. 2 hujus Capitis.

14. Itaque Newtonus non detexit modo, sed etiam observationibus quam accuratissimis, calculisque summo cum rigore initis stabilivit principium gravitatis mutuæ, simplex adeo, inter particulas minimas materiæ, quod per universum mundi sistema e centro cujusvis globi ad immensa spatia diffusum, velut vinculum quoddam corporum tam vastorum partes colligat, atque unitas conservat, dum interim circa centra suis singula legibus revolvuntur. Eadem illa gravitas, quam in

Y y 3 tel-

tellure nostra tam perspectam habemus, afficit nempe reliqua omnia, ut quidquid materiæ toto continetur universo, in unum quodpiam corporum sistema coalescat ejus efficacitatī subjectum. Et certe principium hoc tam luculento ordine per totum mundi ambitum sese porrigen, causæ alicujus ubivis actuosæ, & potentis generalem quandam in omnia vim & ductum ostendit.

Nostro imprimis ævo variae observationes habitæ sunt, e quibus plurimum huic doctrinæ roboris accedit, & quæ illud præcipue demonstrant, quod corporum majorum gravitatio e mutua eorum particularum actione proveniat; in quarum censum veniunt gradus meridiani a Mathematicis Gallis summa accuratione accepta mensura, & perpendiculi a linea verticali deviatio, ex vicini scilicet, & ingentis montis attractione.



CA.

## C A P U T V.

*De materiae quantitate, & densitate in sole,  
& planetis.*

I. **A**D hæc usque cognitionem nostri Auctoris evexit analysis, dum in causas ex effectis inquirens illud e tam accurata phænomenorum consensione detexit, quod eorum principium latius multo pateat, quam quis antea sibi unquam persuasisset. At vero ut a causis jam in aperto positis rursus ad effectus via synthetica regredieretur, satis non erat, gravitatem omnibus corporibus communem stabilivisse, sed præterea, quantum liceret quidem, ipsa virium in mundano syste-  
mate agentium quantitas, & mensuræ constituendæ fuerant. Vidimus jam, ab unoquoque corpore gravitatem quaquaversum ad æqualia a centro interval-  
la diffundi, quæ materiæ modum sequatur; vim porro hujus in superficie telluris ipsa nos quotidie experientia docet; & præterea rationem exposui-  
mus, qua ejusdem efficacitas in quavis inde di-  
stantia æstimanda sit. Denique ut de viribus totius systematis in singula ejus corpora agentibus recte ar-  
bitrari nobis liceat, necesse est, ut, quam rationem cujusvis materia ad nostræ telluris massam habeat,  
decer-

decernamus. Id semel si præstetur, jam viribus effectricibus in universo systemate perspectis, illud supererit tantummodo, ut dextra Geometriæ, & Mechanicæ applicatione motus, & phænomena, quæ inde pendent omnia, corporum cœlestium deducantur.

2. Metiri materiam in sole & planetis contentam, summæ difficultatis problema erat, & quod supra humanæ mentis vim videri poterat. Verum quæstionis tam arduæ, cum de iis instituitur, quæ nosse interest plurimum, resolutionem & commodam, & naturæ ipsi maxime congruentem, Philosophiæ hujus principia suppeditant, jamque Newtonus rationem reperit, quam ad tellurem nostram materia habet, quæ solem, Jovem, Saturnum, ac lunam constituit, id est, quot globi terræ nostræ æquales e massis singulorum illorum corporum efformari possent, ostendit. Et ut rectius animo comprehendamus, qua demum via hanc ille comparationem inire potuerit, id in memoriam revocemus, oportet, quod inter materiam singulorum eorum globorum, & gravitatis vim ad æqualia a centris spatia, æqua sit proportio. Quanta porro in tellurem hujus sit actio, tum e corporum nostratum descensu, tum e supputatis intervallis, quibus luna dato quovis tempore a tangentे suæ orbitæ deflectit, intelligimus; & quamvis nullo nobis experimento constare possit ratio descensus corporis cujusdam gravis in recta versus solem, Jovem, aut Saturnum; cum tamen & planetæ primarii circa solem moveantur, & satellites revolvantur circa Jovem, & Sa-

tur-

turnum, si ad calculos revocetur, quantum planeta primarius infra tangentem suam certo tempore versus solem, & satelles versus primarium suum accedat, id nobis iam fundamentum præbet, cui comparatio gravitatis in sua cujusvis distantia versus solem, aut primarium, cum gravitate lunæ in terram, innitatur; tum vero e lege communi, qua vires hæ mutantur, reperitur ulterius, quæ cujuslibet eorum corporum futura esset actio, si in eadem a sole, Jove, Saturno, & terra collocarentur distantia; & quam hunc in modum respondere singulis prodent calculi, eandem massæ in iis rationem esse conficietur.

3. Plus materiae in Jove, quam in tellure, esse, e satellitum motibus facile colligitur, qui omnes breviore tempore periodos suas circa illius centrum absolvunt, quam suam luna circa terram, et si omnes (primum si demas) longiore a Jove intervallo absint, ac luna a terra. Secundi quidem a centro Jovis distantia superat distantiam lunæ a telluris centro ea ratione, qua numerus 3 excedit binarium, tantoque etiam ampliorem percurrit orbitam, in qua nihilominus revolutionem perficit tempore 3 dierum, & horarum 13, quod ne quidem septimam partem temporis periodici lunæ circa terram adæquat, ut projinde longe majore velocitate, quam luna, moveri debeat. Quod si satelles centro sui primarii propior foret, ejus quoque celeritas augeretur, ut in æquali distantia cum illa, quam luna a tellure habet, multo hac velocius revolvetur, ideoque etiam majore vi in centrum urgetur,

tur, quando manifestum est, motum velociorem in æqualem curvam flecti non posse, nisi vi centripeta majore. Atqui materiae quantitas in corporibus centra occupantibus rationem sequitur virium attractivarum in æqualibus distantiis; quare massa Jovis globum constituens haud parum excedet illam, qua terra constat. Sic non minus clarum est, Mercurium semel circa solem revolvi tempore paullo majore, quam triplo ejus, quo luna terram circuit, quamvis orbitam 140 fere vicibus majorem percurrat, tot scilicet vicibus a motus sui centro magis diffusus; e quo palam fit, satellitem a tellure tantundem remotum, quantum Mercurius a sole distat, lentius multo in orbita sua progressurum, quam Mercurium, ut propterea solis attractio vim telluris plurimum vincat, &, quod consequitur, etiam materiae plus insit soli, quam terræ. Sic denique Saturni massa superare deprehenditur eam, quam tellus continet; & Auctor noster ad hanc methodum subductis calculis, solis, Jovis, Saturni, & terræ materiam ea esse proportione reperit, qua sunt numeri 1,  $\frac{1}{1067}$ ,  $\frac{1}{3021}$ ,  $\frac{1}{169282}$ .

4. Materia jam omni, quæ singulorum horum corporum molem constituit, hunc in modum reperta, haud impeditus erit calculus, qui, quantum quodvis sub æquali volumine contineret, detegat, in quo nempe ipsa densitatum ratio consistit, quæ Auctori nostro talis obtigit, qualis est inter numeros 100, 94 $\frac{1}{2}$ , 67 & 400, cum eam in sole, Jove, Saturno, & terra supputaret. E quo elu-

elucet, terram esse Jove densorem, Jovem Saturno; illos scilicet planetas e densore massa esse compactos, qui soli sunt viciniores, quo calori majori ex illo globo recipiendo redderentur apti. Ex omnibus autem istis perquisitionibus, quibus abstrusorem naturae partem persecuti sumus, intelligimus, omnia in hoc universo situm obtinere maxime congruum, atque ordine eo esse collocata, qui sapientiam prorsus admirandam ubivis prodat. Si terra in Mercurii orbitam transferretur, nobis penitus inhabitabilis redderetur, maribus, & oceano calore illo mox ebullientibus, & in vapores per auras dispersis. Si ad Saturni orbem eveheretur, aquas constringi glacie, plantas & animalia frigore enecari necesse foret. At multo minus distantiae discri-  
men, quo tellus ad solem proprius accederet, satis esset, ut zona torrida incolis destitueretur; aut si ab eo recederet, ut illi telluris tractus, quibus nomen tempatarum zonarum est inditum, inculti relinquenterunt. Moderatior multo calor Joviali globo, laxioribus partibus constanti, convenit; & quam perniciem telluri ad Mercurii locum depresso-  
solis propinquitas afferret, eandem fors metuendam haberet Jupiter, si globo nostro substitueretur. Major adhuc materiae in Saturni sphæra raritas tanto ejus orbis a sole intervallo plane congruit, & quamvis ultimo huic planetarum nonagesies minus lumi-  
nis & caloris inde obveniat, quam nobis, id ta-  
men haud oberit, quo minus in universo systemati-  
cœ mundani spatio hic illi locus sit maxime omnium  
opportunus, & alter quivis, quem seu Jupiter, seu  
planeta inferior quilibet occupat, æque sit illi futu-

rūs funestus , ac nobis Mercurii cum sole vicinia. Omnes itaque planetarias orbitas Saturnina complectitur; & veluti parum nimis caloris ad ulteriora illa spatio penetraret, nullum ultra Saturnum corpus revolvi videmus , quamvis videamus non nulla , quæ inde in suis trajectoriis multo propius ad caloris, & luminis centrum descendant.

Denique non sine ratione concludemus , corpora hæc omnia eo ordine , eo situ esse disposita , ut nulla admodum in iis mutatio fieri posset , quæ non ingentia incommoda , ipsumque non nullis exitium invehernet. Cartesio suam secuto hypothesin planetæ densiores a sole longissime removendi fuerant ; at Philosophia ipsius naturæ observationibus innixa causis finalibus magis congruit, & ubivis Conditoris sapientiam luculentius ante oculos constituit.

5. Cum Astronomi nullum circa Mercurium, Venerem, & Martem detexerint satellitem, eorum vires attractivas, & quantitates materiæ inter se comparandi opportunitate destituimur , quæ in ceteris praefato erat. Attamen vero admodum simile ex iis fit , quæ de tellure, Jove , & Saturno attulimus , etiam in reliquis plānetis densitates distantias a sole respondere , eorumque globos arctiore textu compactos esse , qui minus a sole sunt remoti. Supputaverat quoque Auctor noster vires attractivas , quæ in superficie solis , Jovis , Saturni , ac terræ agunt , eamque invenit inter illas rationem , quam ex ordine indicant numeri 10000, 943, 529, 435; quæ res mirum quemdam consensum prodit inter vim gravitatis horum corporum tantopere mole dissidentium , & inter eorum

rum superficiem: adeo, ut licet Jupiter terram plures centenis vicibus excedat, ejus tamen gravitas in superficie non nisi duplo major sit, quam telluris in sua itidem superficie; ea vero, quæ in Saturni superficie agit, una tantummodo quarta parte superet corporum terrestrium gravitatem.

6. Virium præcipuarum rationibus in universi hujus systemate agentium ita constitutis, antequam ad effecta ab illis pendentia gradum faciamus, illud imprimis inquirendum nobis est, utrum per spatia omni corpore vacua efficaciam suam diffundant, an vero medium quodpiam motibus ab illis genitis resistat. Enim vero corporibus prope telluris superficiem projectis non exiguum velocitatis impedimentum ab aere objici cernimus; & siquidem hic ad spatia illa usque assurget, in quibus planetæ suas percurrunt orbitas, haud dubium, quin eorum motibus obsisteret plurimum. Sed quoniam experimentis nobis constat, aeris densitatem virium comprimentium rationem sequi, quæ sane aliæ sunt nullæ, præter atmosphæræ pondus, necesse est, ut quævis aeris portio, cum a telluris superficie receditur, ex imminuti ponderis proportione, quod incumbit, minus densa sit; & hinc porro efficitur, ut, si interim gravitatis ipsius decrementa non consideremus, atque altitudines inde a terra in progressione Arithmetica sumamus, aeris densitas iis spatiis congruens in progressione Geometrica decrescat. (\*) Jam vero observationes tum in Galliis, tum in Anglia factæ nos edocent, aeris densitatem in al-

Z z 3 titu-

(\*) Vide Halleyum in Transact. Phil. N. 181. nec non Schol Prop. 42. Lib. II. Princip.

titudine perpendiculari septem millium passuum fere æquare partem quartam illius, quam is ad superficiem maris habet; itaque cum ad duplam altitudinem, sive quatuordecim millia, perventum fuerit, erit densitas tantummodo  $\frac{1}{16}$ ; ad 21 passuum millia,  $\frac{1}{64}$ ; ad 28 millia,  $\frac{1}{256}$ ; ad 35 millia,  $\frac{1}{1024}$ ; ad 42 millia,

$\frac{1}{4096}$ ; ad 49 millia,  $\frac{1}{16384}$  pars illius, qua prope mare est prædictus; & si semidiametri intervallo a tellure recederemus, sensu ullo percipi haud posset. At hæc experimenta iterata, & accuratissima evincunt, resistentiam fluidorum, quæ ab inertia materiæ pendet, in densitatum ratione esse; unde ea resistentia aeris, quæ prope telluris superficiem sentitur, in 49 millium passuum altitudine 16384 vicibus minor jam esset, neque etiam plurimorum sæculorum decursu ejus quidquam percipi posset in semidiametri telluris distantia; unde cum adhuc multo magis decrebat in iis spatiis, in quibus luna revolvitur, hæc sine ullo motus obice in sua orbita deferetur.

Ceterum medii alicujus aere tenuioris, quod resistentiam sub sensus cadentem pariat, seu isthic apud nos, seu in spatiis cœlestibus, neque ex experimentis, neque ex observatione indicium habemus.

*Finis Libri Tertii.*

Expo-